

HENRICI RIXNERI

S. Theol. D. ejusque Profess. Publ. &

Ordin. in Acad. Julia

DE

PRÆCIPUIS

INTER CAUSAM PHY-

SICAM ET MORALEM

DIFFERENTIIS

EXERCITATIO,

Qua etiam quæstio expenditur

NUM MORS ET MERITUM CHRISTI

PHYSICA SINT AN MORALIS, JUSTI-

FICATIONIS ET SALVTIS

NOSTRÆ CAUSA?

SUB PRÆSIDIO EJVS

ANNO MDCC LXIX

MENSE IUNIO

PUBLICE HABITA

RESPONDENTE

M. STEPHANO Wilcken /

SEESSENSI, ECCLESIAE LAN-

GELSEMENSIS PASTORE

ET NVNC AVCTOR EDITA.

•• (o) ••

HELMESTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

Anno MDCC LXXV.

ll. diss. A
, 27

~~J. H. H.~~

a. XCII. 27.

HEINRICH RICHARD
2. Theil
Odie in Acten
DE
P R A E C I P U L L I S
MATER CALISTO
SIGAM ET MORALIA
DIFFERENTIA
EXERCITATIO
Quibus quibusdam
NUM MORI ET MENTEM
PHYSICA SINT AN MORALIA
FICITIO ET
MORALIA
Sunt praecipue
ALTO S. V. C. EXE
M. S. T. E. P. H. A. N. O.
SESSER, KOCHER, DAN.
GELDENHUIS EDITOR
ET VINC. ANTONIUS EDITA.
HETEROTAXIA
Typis in officio
anno 1844





MAXIME REVERENDO MAGNIFICO
ET NOBILISSIMO
V I R O

DN. PHILIPPO LVDOVICO

PROBSE JCTO

COLLEGIATÆ S. BLASII
QVÆ BRVNSVICI EST ECCLESIAE

DECANO

SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIS
ET LVNEBURGENSIS

CONSILIARIO INTIMO

ET

INCLYTÆ PROVINCIÆ GVELFERBYTANÆ

SYNDICO

SALVTEM PRECATUR

HENRICVS RIXNERVS, D.



Ex amplius annos est,
quum Dissertationē hanc
certo consilio publici ego
juris facerem, Tuo autem No-
mini pro ea, qua Te veneraba-

); (2

tur,

100
tur, observantia inscriberet qui il-
lam Academico more sustinebat
Stephanus Wilcken, industrius at-
que egregius tunc temporis au-
ditor meus; quem Tuam in sese
voluntatem & juvandi studium
multis sæpe encomiis efferre me-
mini. Non diu post intellexi, ho-
minibus doctis & talium peritis
scriptum istud meum haut displi-
cere; exempla vero ejus ad unum
omnia divendita ac distracta esse,
& a Studiosis nostris desiderari.
Continuo itaque de nova editio-
ne, eaque auctiore, cogitare cœ-
pi, non quod meis mihi placerem
& blandiri vellem, qui pridem in
me descendere & meo me pede
metiri noveram; sed ut juventuti,
aliis.

aliisque qui forte expeterent, gratificandi promptitudinem declararem, simul vero & locupletandi occasione uterer, quia quando editioni priori incumberem, chartæ me rationem quadante nus habere oporteret. Cæterum occupationes aliæ atque aliæ, inprimis autem docendæ publice privatimque juventutis Academicæ cura, institutum sufflaminarunt, & necessitatem mihi imposuerunt de die in diem differendi, donec superioribus septimanis horas nonnullas sibi subtrahi ac decerpi, & opusculo impendi permitterent. Reddidi igitur id incudi, & tum Philosophicum, quod eo agitur, argumentum,

):(3

cum

tum subjunctam quæstionem, cui expediendæ ipsum servit, aliquanto fusius explicavi & deduxi. Quare si bonis & intelligentibus operam ac voluntatem meam probavero, & Studiolorum industriam adjuvero, assecutum me profitebor id, quod unice cupiebam, sola videlicet utilitate, quæ accedere inde aliis possit, facile contentus. Habitu isto, Exercitatio ad Te, Vir Magnifice, ceu ad veterem Patronum redit, limato iudicio Tuo & sentiendi dexteritati non minus nunc se subjectura, quam ante sexennium exponebat. Neque enim sane committere debui, ut sine laudatissimi Nominis Tui memoria, qua orna-

ta

570.
ta tum erat, in lucem jam prodiret, præsertim cum evidenti documento haut ita pridem demonstraris, res meas & studia mea cordi Tibi esse, Teque insigni me benevolentia complecti. Quo nomine & gratias Tibi ago, & mihi gratulor, Teque officiose rogo, ut propenso in me animo esse pergas, & hanc gratæ mentis testificationem perennis in Te venerationis meæ tesseram putes. Quod pluribus a Te verbis, etiã cum virtutum tuarũ commemoratione, contenderem, si vel grauitati Tuæ, vel modestiæ meæ conveniret, & multiloquii ac blandiloquæ vanitatem mecum procul non habe-

res.

res. Potius itaq; Numen summum
precor, ut Te tantum virum re-
bus humanis quãdiutissime inter-
esse jubeat, & ob eximias virtutes
Tuas omnigena felicitate ac pro-
speris consiliorũ successibus beet.
Scripsi in Academia Julia, Anno
CIC IC C LXXV. ipfis Nonis Septem-
bribus: queis solenni festivitate & publicis
laudum divinarum præconiis victoriam per ter-
ras hæc celebravimus, qua potentissimi ad Rhe-
num & Mosellam Fœderati, ac inter illos cum
alii Brunsvico-Luneburgici Principes, tum Heros
incomparabilis, GEORGIVS WILHELMUS, fuso
prius cæsoque Gallici Ducis de Crequi exercitu,
vetustissimam Trevirorum Augustam expugna-
runt, & e Gallorum, qui injuste occupaverant,
faucibus extortam Imperio reddiderunt, Cre-
quiumque ipsum abduxerunt captivum. τῷ Θεῷ
χάρις τῷ δίδόντι αὐτοῖς τὸ νικῆσαι.

DE



DE

PRÆCIPVIS INTER CAUSAM
PHYSICAM ET MORALEM
DIFFERENTIIS

EXERCITATIO

Qua etiam quæstio expenditur

NVM MORS ET MERITVM CHRISTI
PHYSICA SINT AN MORALIS, IVSTI-
FICATIONIS ET SALVTIS
NOSTRÆ CAUSA?

DOtiores inter Causam Physicam & Moralem
Differentias tradituri, initium à definitionibus
earum facimus: uti enim his utriusque natura
& propria ratio exprimitur, ita quid à se invi-
cem differant, inde cum primis petendum. Sta-
tim vero observetur, *Physicæ* causæ nomine
hic non corpoream, vel naturalem, motu materiali agentem,
aut ad unum oppositorum determinatam; nec voce *Moralis*
liberam & intellectualem formaliter designari: qualibus no-
tionibus vocabula isthæc interdum substerni Franciscus Sva-
rezius docet disp. Met. xvii. sect. ii. num. vi. & Bernardus
Morifanus disp. Phys. iiii. q. vii. sed priore quidem termino
intelligi causam, reali aliquo actu operantem, sive corporea
ea existat sive incorporea, sive naturalis sive libera: poste-
riore

A

riore talem, quæ, quatenus ejusmodi est, actu reali non agit, ita tamen se gerit, ut in ordine ad mores, & secundum prudentem æstimationem, realiter agere vel egisse putetur, seu pro realiter operante habeatur. Sic igitur communi ferme Philosophorum consensu, Causa Physica ejusmodi est efficiens, quæ vere & realiter in effectum influit, seu per entitatem suam eum attingit: v. g. faber domum ædificans, & ignis comburens. Moralis autem, quæ non efficit & influit realiter, ad effectum tamen influxu suo tantum confert, ut is ipsi jure, & aliquando etiam ad laudem vel vituperium, ad præmium vel pœnam, imputetur, non aliter ac si revera influxisset: qualis est consulens, rogans, mandans, item qui intercedit, satisfacit, meretur, impetrat, aut simili se modo habet. Pro qua quidem expositione, utpote recepta & plerisque probata, fortassis non adeo est necesse Doctorum nubem allegari. Tamen qui volet, videat Fonseca l. v. Met. c. ii. q. v. s. i. Svarzium & Morifanum locis citatis; Petrum Hurtadum de Mendoza disp. Phys. iix. s. ix. n. cxv. Johannem de Rada part. iv. contro. iii. a. iii. in expositione Scoti observ. v. Rodericum de Arriaga disp. Phys. vii. sect. ult. Jacobum Martini l. i. Exerc. Met. iv. theor. v. Scheiblerum in Topicis c. iiii. num. xxxiv. seq. & in subjunctis commentariis n. cxxxiii. seq. nec non lib. i. Metaph. c. xxii. n. xxxii. & titulo xiii. n. cxxxix. B. Stahlum Institur. Met. part. gen. c. xii. & parte i. Regularum Phil. disp. v. reg. iv. n. xv. B. Slevogtum disp. Academ. præct. vi. n. iii, iv. B. Zeifoldum l. i. Instit. Phys. s. ii. n. cxcvii.

II. Moralem æque ac Physicam in Efficientium censum Doctores isti merito compingunt. Sive enim Causam Efficientem cum Aristotele ii Phys. t. xxix. & xxxi. definias, unde primum principium mutationis aut quietis; sive cum Mendoza disp. Phys. ix. s. i. n. ii. principium per se influens in aliud sine mutatione sui ex præcisa ratione influxus; sive eam esse dicas, quæ

quæ

quæ aliquid exequitur ita, ut ab eo, quod executioni dat, adæquate distinguatur, & pars ejus non sit: descriptiones istæ omnes plane in Moralem competunt. Philosophus etiam ipse II. Phys. cap. III. t. XXIX. & V. Metaph. c. II. t. II. eum qui consulit, atq; ita causam moralem, efficientibus accenset. Interim ea cum Finali cognationem non exiguam habere videtur, notante Slevogro: *Quemadmodum enim Causa Finalis effectum non causat per entitatem suam, sed duntaxat per apprehensionem sui, tanquam per rationem movendi, quatenus nempe ab intellectu apprehensa appetitum movet, non motione reali, sed metaphorica, dum bonitatem suam ipsi exhibet; ita quoque causa moralis effectum suum causat, non per entitatem suam, nec per actionem realem, sed quatenus causam Physicam ad eum producendum moraliter movet.* Moralis tamen revera Finalis non est: nulla enim Moralis, quatenus talis, sic unquam se habet, ut propter illam proprie aliquid sit vel fiat, sed potius est principium à quo aliquid fit aut dependet: Finalis autem est propter quam proprie & stricte quippiam existit vel efficitur.

l. c. n. 76

III. Nonnulli docent, soli causæ physicæ, non vero morali, influxum competere. Sed isti ab illis, quos commemoravimus, Philosophis in re ipsa non dissentiunt. Verbo enim *influerè* admodum stricte utuntur, nempe uti significat *actione sua immediate effectum attingere & producere*, veluti Dn. D. Petrus Musæus exponit Institut. Metaph. c. XIII. A quo rigore abstinent, qui influxum causæ morali tribuunt. Et si tam arcte vox capiatur, neque materia, neque forma, nec finis influent, cum nulla harum causarum vera aliqua actione effectum producat.

num. 181

IV. Sunt etiam, qui diserte causæ moralis influxum non negant, sed nec concedunt tamen, eam *per influxum suum verum & proprie dictum ad rem effectam concurrere*. Ita B. Keslerus part. gen. Metaphysicæ Photin. sect. III. Vbi negatio

princip. 17.

A 2

proprie

proprie dicti influxus omnem prorsus videtur influxum tol-
lere: nam quod improprie tale est, non est revera tale. Cæ-
terum hi quoque diversum non docent, si rem videas. Per
influxum enim improprie dictum eum intelligant, qui realis
& proprius non est, sicuti ex apposita voce *veri*, (qua hoc lo-
co *physicum* & *reale* significatur) deinde & hinc patet, quod
causam physicam definiant, quæ *per influxum proprium*, hoc
est, *realem, rem efficit*. Si vero hoc, ergo *Moralis* illis erit, quæ
per *verum, realem & proprium* influxum non concurrit ad
effectum.

n. 14.

V. Rursus, quorundam aliorum sententia est, causam
moralem non influere tantum, & proprie quidem, sed & in-
fluere realiter, eoque esse causam realem. Verum nec illi in
re dissident. Nam *causa realis, & influere realiter, dupliciter dici-*
tur, inquit Jacobus Tentzelius disputatione 1. de *Causa Mo-*
rali, Witebergæ habita. *Uno modo, ut causa realis illa solum di-*
catur, quæ per propriam suam entitatem attingit effectum, eum per se
producit, adeoque physice in eum influit. Hoc sensu causa moralis non po-
test dici realis: quo respexisse videntur plerique, qui quod causa moralis
non influat realiter, asserunt. Sed & altero modo causa realis di-
citur, quæ per se quidem non attingit effectum, nec physice in eum in-
fluit, revera tamen ad illius productionem aliquid confert. Et hoc
sensu, quo minus causa moralis dicatur realis nihil prohibet. Illa enim
revera aliquid confert ad productionem effectus, licet illum immedia-
te non attingat. Cum igitur tò realiter influere, in descriptione
causæ physicæ, sit actione reali & entitate sua immediate ef-
fectum attingere ac producere, liquet, quando opposita ei
causa moralis influxus expers dicitur, sensum esse, quod non
ita, ut causa physica, influat, hoc est, propria entitate non
concurrat ad effectum: quo non negatur, realiter causam
moralem influere, uti citra mentis operationem aliquid ad
effectum confert.

VI. De.

593.

VI. Denique causæ moralis descriptioni aliqui inferunt, quod *per se non vere efficiat*. Quò videri possint, causam eam *causarum per se* numero eximere. Haud eximunt tamen. Nam non nude ajunt, causam illam per se non efficere, sed, *non vere per se: Tò vere* autem illis idem est ac *realiter*; quemadmodum ex ipsorum definitione causæ physicæ patet, quæ eam *vere & realiter influere* dicunt. Sensus ergo est, Moralem per se *realiter*, sive per suammet entitatem, non influere & efficere: quæ assertione haud negatur, efficere eam alio modo per se; nempe quatenus per se movet causam physicam ad effectum *realiter* producendum.

VII. Porro observetur, 1. quum causa physica propria sua entitate & immediate influere & effectum attingere dicitur, non ita id sumendum esse, ac si inter ipsam & effectum medium nunquam intercedat: fallit enim hoc in causa physica principali, instrumento sui generis ad opus producendum indigente; ut in artifice, quando malleo cudit, vel ferra secat: sed accipiendum esse comparatione causæ ipsi oppositæ, h. e. moralis, quæ quatenus talis effectum revera non attingit, neque per sese, neque interveniente organo physico, quod ab illa elevetur, licet in exequendo opere instrumento utatur morali; quale tamen in genere physico causa fit principalis, vel certe à principali morali physice non elevatur. 2. Imputationem non esse ipsum formale causæ moralis, sed consequens quoddam. Nam causa moralis causalitatem exercet dum influit, & ad effectum aliquid confert, per directam aut indirectam intentionem, & movendo causam physicam ad producendum effectum: quo facto, imputatur demum ei effectus, perinde ac si realiter produxisset. Quod haut obscure definitione sua Carolus Franciscus de Raconis parte III. Summæ Philos. tract. de principiis disp. III. l. II. q. III. a. II. expressit; *Causa moralis, inquit, illa est, quæ non qui-*

dem influit realiter in effectum, sed tantum movet agens, ut producat illum, quo fit, ut ei tribuatur talis effectus. Quo fit, ait: Nimirum, exercita illa motione & causalitate, consequitur imputatio effectus. Sic quoque laudatus Dn. D. Musæus: *Descriptio causæ moralis, quod imputative influat, ut quidam loquuntur, seu quod ei imputetur effectus, est à posteriori. Neque enim exprimit causalitatem, sive id, quo aliquid est causa moralis, & cujus ratione fit, ut alicui effectus citra influxum realem imputetur. Putamus autem, pergit, ideo plerisque eam probari, quod notior & simplicior sit, & facilius intellectui se ingerat.* Post multa alia: *Necessarium causæ moralis consequens est, ut effectus ipsi recte sive jure imputetur, bonus quidem ad laudem & præmium, malus vero ad culpam & pœnam.* Non leviter itaque impingunt, qui potissimum modum causalitatis moralis in imputatione consistere censent. *David dicitur causa moralis cædis Urijæ, ait Dn. Tentzelius, non propter solam imputationem, quod Deus ipsi cædem illam imputavit, eumque pro homicida habuit, sed C V M P R I M I S propterea, quia ipse jusserat Urijam in principio prælii fortis collocari, ut ab hostibus occideretur, in quo imputatio illa fundatur.* Et licet in Causæ moralis descriptione mentio imputationis effectus facta sit; notum tamen est, in explicandis rebus obscurioribus sæpe etiam ea, quæ naturam illarum comitantur sive consequuntur, solere recenseri, quò videlicet ex hisce ista eò magis innotescat.

VIII. Facile vero intelligitur, definitiones supra propositas esse causæ physicæ formaliter acceptæ, quæ nimirum aut simul moralis non est, aut si est, tamen tanquam talis non consideratur; & causæ moralis itidem formaliter & exclusive sumtæ. Fieri enim potest, ut una eademque causa simul ac per se physica sit & moralis, non ratione duntaxat diversorum, sed etiam in ordine ad eundem effectum. E, g. qui *inspuerunt in faciem Christi, & colaphos ei inflixerunt, & bacillis eum*

l. c. num. 15.

§. 42.

§. 24.

eum

579.

eum cæciderunt, Matth. xxvi, 67. Marc. xiv, 65. Ioh. xix, 22.
physica fuere tanti sceleris causa per se, & simul per se mora-
lis, quia sic actione reali effectū attigerunt, ut eum voluerint
& intenderint, & ad producendum se ipsos quasi moverint,
eoque jure illis in culpam sit imputatus, & hodienum impu-
retur. Cui doctrinæ, ipsa profecto luce clariori, eoque ab
aliis quibusdam immerito contradictionis accusatæ, Cl. Dn.
Musæus accedit, cujus hæc ibidem sunt: *Non repugnat; causam
aliquam esse moralem & physicam simul. Sicut qui innocentem sua
manu occidit, ita est causa physica homicidii, ut simul sit causa mora-
lis, quia ipsi recte imputatur homicidium hoc ipso, quod sciens & vo-
lens illud commisit.* Et cap. xiv. §. xi: *Observandum, quandam esse
causam per se utroque modo, i. e. tam influere in effectum, quam illum
intendere: quæ uti influxu semper causa physica, sic intentione, sal-
tem proprie ita dicta, simul causa moralis est, utut vulgo causa mo-
ralis exclusive accipiatur. Ita qui scribit, literarum; & qui sciens
ac volens aliquem percutit, verberum causa per se est utroq; modo,
adeoque tam causa physica, quam moralis. Sic doctissimus ille,
taliumque longe peritissimus Vir: qui & hypothese ista nixus,
cap. xv. §. v. scribit, *Deum esse causam principalem physice & mo-
raliter hujus mundi.* Qui autem repugnantiam & contradi-
ctionem heic fingunt, in argumento quod subjicio, acumen
suum experiantur: Si idem unum eundemque numero effe-
ctum proprie intendere, & simul realiter producere potest,
idem quoque simul causa per se moralis ac physica esse potest
in ordine ad eundem numero effectum: nam proprii nominis
intentio moralem, & influxus realis physicam causam arguit.
Prius vero est, sicuti modò ostensum. Ergo & posterius. Per-
petuum tamen non est, ut causa physica & moralis in eodem
subjecto respectu ejusdem numero effectus concurrant.
Fit enim sæpe (1) ut aliquid sit causa physica, non vero
moralis alicujus effectus, & vice versa; quemadmodum ignis
generans*

generans ignem est causa per se physica sui effectus, sed non moralis: & qui tantum hortatur, syadet, jubet, causa est moralis, ut tamen physica non sit effectus subsequenti. (2) ut una eademque causa, veluti antea dicebamus, physica sit & moralis ratione diversorum. Quo pacto qui applicat agens ad patiens, applicationis causa physica, & si alius inde effectus sequatur ac resultet, simul causa ejus moralis est. Licet autem in agentibus per intellectum sæpenumero quod physice operatur, sit etiam moralis causa, idque partim ratione ejusdem effectus, ut in proposito exemplo eorum qui Christum cæciderunt; partim respectu diversorum, quomodo incendiarius est causa physica admotionis ignis ad ædificium, moralis autem incendii: attamen quatenus physica causa est, non est moralis. Et ita descriptiones quas diximus, definitis conveniunt formaliter & cum exclusionem acceptis.

IX. Cum autem causa physica entitate sua effectum attingat, manifestum est, influxum & effectum ab ea proficisci non posse, nisi actu in natura existat. Nam quomodo reapse & per entitatem suam operetur, quod entitate omni caret? *Ea que non sunt, quo nam pacto loquentur, aut ambulabunt?* ait Aristoteles IV. Met. IV. t. 16. Et lib. IX. c. III. t. 7: *his, que non sunt, motus tribui non solet, sed alia quædam prædicata; ut puta, quod sint intelligibilia, & optabilia: moveri autem minime; id quod propterea accidit, quod actu non sunt, sed actu futura sunt.* Contra, Moralitas, quamvis & ipsa sæpe ens actuale sit, tamen quia actione reali non influit, sed physicam tantum movet & allicit ad effectum producendum, non necessario existit actu. Sic ignis comburere nequit, nisi entitatem suam actu habeat; incendiarius autem admotis talibus, unde scit futuram post dies aliquot ædium conflagrationem, continuo emori & non esse potest, igne deinceps nihilominus ædes consumente.

X. Deinde physicam causam, sæpe etiam non motam
ab alio

579
ab alio, entitate sua effectum attingere, in confesso est, & exempla passim ostendunt. Potest igitur influere sine Moralis concursu. Quia autem causa moralis realiter non influit, & nihilominus per influxum suum confert aliquid ad effectum à physica causa producendum, sic ut is ipsi imputetur; patet, eam istum consequi non posse, nisi interventu causæ physicæ, quam in genere suo movet & impellit, uti effectum realiter producat. Vnde Raconius causam moralem modo definiebat, quod *moveat agens*, sive causam physicam, ad efficiendum: in qua motione causalitas ejus consistit; dummodo tamen motio illa sit in genere morum, & ob eam causæ isti imputetur effectus: nam alioquin & causa finalis movere efficientem physicam potest, sed citra hoc, ut propterea illi effectus ab ista productus, (qui quod ad intentionem revera fuit finis ipse) proprie imputetur.

XI. Quod si jam omnia in summam concludamus, quinque potissimum emergent inter causam physicam & moralem differentia. PRIMA est, physicam realiter ac per propriam entitatem influere & ad effectum concurrere, sive naturalis sit, sive divina, sive corporea, sive incorporea; sed moralem influere tantum conferendo aliquid, seu movendo in genere suo physicam ad producendum effectum; veluti ex utriusque definitione intelligitur. Motio autem moralis causæ, quod ipsum quoque ex dictis perspicuum est, ita capienda, ut formaliter & in modo causandi omnem physicam rationem excludat. Hoc vero multifariam fit. Confert enim moraliter & movet, qui vel directe vel indirecte effectum intendit, sive vult, & hinc causæ physicæ ut agat, consulit, consentit, svadet, imperat, aut eam cogit, & quidem *cum effectu*, applicat item agens ad patiens, intermittit & non impedit quando oportet & fieri potest, rursusque impedit cum minime oportet, porro etiam rogat, intercedit, satisfacit, meretur.

B

retur.

retur, impediens removet, impetrat, (qui sunt speciales cau-
sæ moralis modi) quorum nihil præstat physica causa.

XII. Directe intendere dicitur, qui aliquid explicite
& efficaciter, seu expresso voluntatis actu, cupit. Indirecte,
qui revera quidem & expresse effectum non vult, sciens ta-
men aliquid, ex quo novit effectum sequi posse, confert, id-
que vel agendo quippiam, vel omittendo. Et hinc Volun-
tarium, ceu quod efficacem intentionem ac volitionem tan-
quam effectus consequitur; illudque etiam vel directe, vel
indirecte tale, pariter ac ejusmodi est ipsa voluntatis appeti-
tio: de quo Gregorius de Valentia tom. 11. disp. 11. qu. 1.
punct. 1: *Voluntarium in duas quasi species dividitur. Una est ea, jux-
ta quam voluntarium dicitur illud, quod sic à voluntate pendere in-
telligimus, ut voluntas positive sit principium illius, seu efficiat illud.
Atque hoc appellatur Voluntarium directe, seu Voluntarium secun-
dum se. — Vocatur autem voluntarium hujus speciei voluntarium
directe propterea, quod absque ullo quasi circuitu conceptuum illius
intelligimus à voluntate dependere id, quod ita voluntarium nomi-
natur: nempe cum intelligimus dependere ab illa tanquam effectum
positivum à sua causa. Altera species voluntarii est ea, secundum
quam voluntarium dicitur id, quod eatenus à voluntate pendere in-
telligimus, quatenus voluntas, cum posset & deberet illud impedire,
non impedivit, sed permisit esse aut fieri: quo ipso satis apparet,
quicquid illud est, quod ita voluntarium dicitur, voluntati adscri-
bendum esse, non quidem ut efficienti, sed ut permittenti. Ac volun-
tarium hujus speciei vocatur voluntarium indirecte, eo quod volun-
tarium hujusmodi, non nisi cum quodam quasi circuitu conceptuum in-
telligimus, à voluntate dependenter esse. Hactenus Valentia.*

XIII. Ubi de posteriori Voluntario, ab inten-
tione indirecta pendente notandum (1) permitti & non
impediri aliquid, vel *simplici omissione actus*, quo posito illud
non fieret; qua ratione nauclerus, à regendo navigio per in-
curiam

576

curiam desistens, submerfionem, à se alias non intentam, permittere ac non impedire dicitur: & qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit, dum nempe occidi permisit; c. 6. X. de Homic. vol. & cas. Ob quam rationem Lex XIX. Academiae Juliae: *Quod delictum puer, aut famulus commiserit, ejus dominus quoque reus est, si nequitia ministrum non prohibuit, cum prohibere potuit.* Vel agendo quicquam, ex quo ipsum, quamtumvis non intentum, sequi posse & solere omnes norunt, aut adhibita diligenti consideratione ignorari nequit. Is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare; c. ult. de Homicid. in 6. Par ratio ejus est, qui stricto gladio ludat, & adstantem vulneret: nec enim is læsionem revera vult, agit tamen aliquid, unde eam facile accidere novit, aut certe novisse poterat ac debebat, & sic illam non impedivisse jure dicetur. Quare Lex V. Academiae Juliae: *Nemo enssem temere stringat, aut stricto illo ludat. Qui vel ludens ita quem læserit, gravissime punietur.* Et ex fundamento isto ante dicebamus, indirecte intendere eum, qui quippiam vere non expetat, conferat tamen sive agendo sive omittendo, ex quo noverit sequi illud posse. E quibus manifestum est, intentionem & volitionem indirectam à Thoma in prima secundæ qu. VI. art. III. haut sufficienter ex intermissione actus, vel, ut ille loquitur, *ex hoc ipso, quod aliquis non agit*, æstimari ac describi, sed definiendam quoque esse ex actione, per quam talis vel talis effectus facile producat. (2) ad voluntarium indirectum, & indirectam intentionem ratione omissionis actus, non sufficere tò *posse impedire, & non impedire tamen*, sed præterea requiri obligationem ad impediendum. Hæc quippe si desit, permittens & non impediens haut censendus est velle

indirecte. Quod Valentia modo sic exprimebat: *quatenus voluntas, cum posset & deberet impedire, non impedivit.* Eodem pacto Thomas: *Sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo, quod non agit; sed solum tunc, cum potest & debet agere.* Si enim gubernator non posset navim dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis, non imputaretur ei navis subversio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret. Et Cajetanus in locum istum: *Ad rationem voluntarii indirecte non sufficit potestas in voluntate, & negatio provisionis; sed oportet tria concurrere, scilicet, posse, debere, & non velle, aut non imperare.* Et propterea non valet argumentum: *Hoc potuit à voluntate prohiberi, & non est prohibitum; Ergo est voluntarium.* — Oportet enim diligenter attendere, si debet & quando debet impedire. Item ad art. VII. qu. LXII. in sec. secundæ: *Non imputatur malum culpæ alicui indirecte, nisi quia potest & debet ob stare.*

XIV. Sed ut omnia quæ de causa sive intentione directa ac indirecta adduximus, plenius adhuc cognoscantur, ex Thoma porro quædam addemus. Is quum primâ secundæ quæst. VI. art. IIII. voluntarium aliud directe, aliud indirecte esse dixisset, distinctionis ejus usum postea in secunda secundæ qu. LXII. art. VII. demonstravit. Quæritur ibi, *utrum illi, qui non acceperunt, sive physico modo & per contactum furati ac prædati non sunt, eo autem aliquid contulerunt, teneantur restituere rapinam, & quod furto ablatum est?* Respondet Thomas: *Quicumque est causa (moralis) injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem.* Quod quidem (nempe injustæ acceptionis causam esse) contingit dupliciter; directe scilicet, & indirecte. Directe quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum: & hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo, movendo ad ipsam acceptionem, quod quidem fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expresse, & laudando aliquem quasi strenuum

in corp.
& ad 1.

numm

num de hoc, quod aliena accipit. Alio modo, ex parte ipsius accipientis, quia scilicet eum receptat, vel qualitercunque ei auxilium fert. Tertio modo, ex parte rei acceptae, quia scilicet particeps est furti, vel rapinae, vel quasi socius maleficij. Indirecte vero, quando aliquis non impedit, cum possit, & debeat impedire, vel quia subtrahit praecipuum, sive consilium impediens furtum vel rapinam, vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obistere, vel quia occultat post factum: quae his versibus comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, (adulator) recursus, participans, mutus, non obstands, non manifestans.

Alii ita, observante Martino Chemnitio in Locis Theologicis part. i. de peccato cap. VIII:

*Consulo, praecipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed praecipio, & defendo aliena.*

Pergit Thomas: Sciendum tamen, quod quinque praemissorum, semper obligant ad restitutionem. Primo, jussio; quia ille, qui jubet, est principaliter movens: unde ipse principaliter tenetur ad restituendum. Secundo, consensus in eo, sine quo rapina fieri non potest. Tertio, recursus; quia scilicet aliquis est receptator latronum, & eis patrocinium praestat. Quarto, participatio; quando scilicet aliquis participat in crimine latrocinii & in praeda. Quinto, tenetur ille, qui non obstat, cum ob stare teneatur: sicut principes, qui tenentur custodire justitiam in terra, si per eorum defectum latrones increpant, ad restitutionem tenentur, quia redditus, quos habent, sunt quasi stipendia ad hoc instituta, ut justitiam conservent in terra. In aliis autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum: Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid hujusmodi, est efficax causa rapinae. Unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo, id est, adulator, ad restitutionem, quando probabiliter aestimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta. Haec ille.

XV. Pariter Richardus de Media Villa in quartum dist. xv. art. v. q. iv: *Non tantum ille, qui executor est injustæ damnificationis (illationis damni) sed etiam omnis, qui particeps est in illo crimine, ad restitutionem tenetur. Ita ille, qui jubet fieri, principalior causa videtur, quam exequens: est enim causa prima (in illo ordine, & in genere morum.) Causa autem prima plus influit in causatum quàm secunda (si nempe prima secundam, excitet, moveat & impellat, aut peculiari modo ei cooperetur.) Consulens etiam particeps criminis est, si damnificans (damnum inferens) non fuisset aliter hoc facturus. Item Consentiens expresso consensu, sine quo damnificatio non fuisset secuta. Et adulator; quoniam laudat & strenuum reputat rapientem, vel alias injuste damnificantem, & ei familiarem se exhibet: quo multum probabiliter præsumitur, quod ex hoc motus fuit damnificans ad damnificandum, quia talis adulatio est quidam consensus. Ille etiam, ad quem est damnificantium recursus, sicut ad patrocinium præstantem. Et ille, qui inferenti damnum assistit, coadjuvans eum, & participat in præda, quia talis maximum præstat favorem. Tum ille, qui videt alium damnificari (alteri damnum inferri) injuste, & scit quod verbo suo, sine periculo suo, facere potest ut subveniatur injuriam patienti, & tacet. Præterea ille, qui non obstat damnificantibus injuste, cum possit, & sibi ex officio incumbat, & manifesta sit injuria. Deniq; ille, qui interrogatus à judice, vel ab alio, ad quem pertinet, si scit illum, qui res injuste acceptas detinet, & celat scienter, cum tamen sciat se posse sine ullo suo periculo respondere veritatem. Ista etiam Richardus.*

XVI. In quibus seorsim nota 1. consulentem tunc criminis participem pronuntiari, si damnificans non fuisset aliter hoc facturus: & tunc participem consentientem, si sine consensu damnificatio non fuisset secuta: vel, ut Thomas dicebat, si consilium & consensus sint efficax causa effectus, & hæc ex illis sequatur. Nam si citra consilium illud, & consensum istum (eadem ratio est mandati ac laudis) crimen commisisset prædo,

578.

do, consultorem, consentientem, jubentem, laudantem, non esse criminis causam statuit Richardus; quem Cajetanus, Gregorius de Valentia, & alii sequuntur. *Ut censearis vere causa acceptionis rei alienae*, inquit Valentia tom. III. disp. v. q. vi. punct. III. *atque adeo tenearis hoc nomine restituere*, requiritur, *ut revera propter tuum imperium, seu consilium, seu laudem, seu consensum, ablatio rei alienae subsequuta sit.* Nam quantumcumque consentias vel imperes, tamen si alter non propter respectum consensus tui aut imperii, sed aliunde ad id motus rem alienam abstulit, non eris tu causa ablationis ejus. Ac per hoc Cajetanus excusat ab obligatione restituendi eos, qui consentiunt in bellum injustum, postquam jam illud suscipere deliberarunt ii, ad quos pertinebat de illo statuere. Atque etiam eos, qui per posteriora suffragia consentiunt in collationem rei injustam, si per suffragia priora praevalentia jam esset res definita, nec penderet à suffragiis posteriorum. — In iis enim casibus consensus in actionem injustam est tantum consensus (& proinde peccatum) sed non etiam causa injustae actionis; & adeo non parit obligationem restituendi. Aliis tamen ad furti ex consilio & consensu obligationem necessarium non videtur, ut is, qui furtum commisit, absq; consilio ac consensu facturus non fuisset: quibus Wilhelmus Ludwell adstipulatur Comment. in §. interdum quoq; Instit. de oblig. quae ex del. nasc. & Helfricus Ulricus Hunnius lib. III. Variar. Resolut. Jur. Civil. tr. VII. part. IV. q. IV. Atqui quod consilium, aut mandatum, & qui consensus, nullam exercet causalitatem moralem in ordine ad effectum, ei non potest effectus imputari, eoque nullam ex effectu isto pendentem obligationem gignit. Sed quum quis citra alterius consilium, mandatum & consensum animo praesumit, furtum se facturum, acceptum postea de eo consilium, vel mandatum, aut additus consensus, nullam in ordine ad effectum istum causalitatem moralem exercent, (hoc ipso scilicet quod fur motu proprio surrepturus
aliena

aliena erat) non quod furtum non sequatur, verum quod non proficiscatur ex consilio, mandato, vel consensu, tanquam ex causis moralibus. His itaque furtum non potest imputari, adeoque nec ea pendentem ex illo obligationem gignunt. Nota 2. eum, ad quem sortium fit recursus, tum demum damni causam dici, si recurratur ad eum *sicut ad patrociniū præstantem*. Nam si fures esse ignoret, qui illos forte recipit, furti non tenetur. 3. Reum esse, cui *ex officio incumbat* resistere nocenti, nec resistat tamen. Licet enim probabilitate non careat, quemvis proximi sui damnum *ex charitate* amoliri, ac illaturo resistere debere, si possit, & quando non faciat, damni moralem causam, eoque reum esse: nihilominus communior & verior est Doctorum sententia, cum solum culpæ proprie esse obnoxium, qui cum *ex officio* debuerit, non impediverit damnum. Vide ibidem Valentiam. Atque sic etiam Alexander Alensis assertionem limitat parte IV. Summæ quæst. xxcvii. membro III. art. IV. §. VII: *Habetur à Sanctis: Qui potest impedire malum, & non impedit, assentitur.* — Hoc autem intelligendum est de eo, qui potest *ex officio*. Iudex enim vel rector reipublicæ qui non obviat malo cum possit & debeat *jure officii*, interpretatur consentiens. Et

ad 3. Thomas loco citato: *Non semper ille, qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem, aut qui non obstat, vel qui non reprehendit; sed solum quando incumbit alicui ex officio; sicut principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim potestate publica potiuntur, ut sint justitiæ custodes.*

XVII. Atque hisce à Thoma constitutis principiis & directæ ac indirectæ intentionis modis multa Sacri juris superstructa sunt, quorum aliqua jam Richardus observavit. Primo, intendit ac causa moralis est, ut accepimus, istoque nomine tenetur, *jubens*. Hinc igitur Isidorus apud Gratianum c. 101. q. 3. XI: *Si quis prohibet vobis quod à Domino præceptum*

ceptum

579.

ceptum est, vel rursus imperat fieri, quod Dominus prohibet, execrabilis sit omnibus, qui diligunt Deum. Secundo, intendit consulens. Ex quo inibi cap. 100. rursus Isidorus: Si quis erranti consilium dederit, ut se tardius humiliet, sciat se cum illo simili modo judicandum culpabilem. Et Innocentius tertius, criminoso consilium impendentem reum declarat c. 29. x. de Sent. Excomm. Tertio, intendit & moraliter causat Consentiens. Unde ibidem Innocentius, & c. 10. q. 1. 11. Nicolaus Papa: Facientem & consentientem par pœna constringit. Johannes VIII. pontifex c. 3. dist. 86: Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur. — Et latum pandit delinquentibus aditum, qui jungit cum pravitate consensum. Capitulo etiam 100. q. 3. XI. consentiens peccantibus & alterius errori, maledictus ac culpabilis reputatur. Quarto intendere censetur adulator. Qui ergo nominatim excommunicato communicat in oratione, vel osculo, aut comedendo cum eo, iudice iterum Innocentio, peccat. Distinctione XCIII. cap. 1: Si quis amicus fuerit his, quibus ipse (Clemens Romanus) amicus non est, & locutus fuerit his, quibus ipse non loquitur, unus est & ipse ex illis, qui exterminare Dei Ecclesiam volunt, & cum corpore vobiscum esse videatur, mente & animo contra est. — Hic enim per amicitiarum speciem, quæ sunt inimica gerit, & ecclesiam dispergit ac vastat. Quinto, intendit receptor & patronus malorum. E quo fundamento, qui criminoso impendit auxilium vel favorem, nomine isthoc obstringi dicitur ab Innocentio l. c. Et Isidorus: Qui defendit alium delinquentem, inquit, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione severissima; c. 100. XI. q. 1. Mox iterum: Si quis peccantem defendit, acrius quam ille qui peccavit, coërceatur. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi: Quicumque assassinos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, incurrat sententias ipso facto; c. 1. de Homic. in 6. Sexto, inten-

C

dit

dit effectum operantis socius, & quocunque modo adjuvans ac participans. Inde c. 6. x. de Homicid. vol. & cas. Constat, ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios prestare venerunt. Septimo, causa facinoris judicatur matus, sive qui tacet, quando tacendum non est. Facientis culpam, ait Johannes VIII. cap. 3. dist. 86. procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. — Et negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere. Huc pertinet illud Ezech. xxxiii, 8: Si non loquaris monendo improbum, ut desistat à via sua, ipse improbus propter iniquitatem suam morietur, sanguinem vero ejus è manu tua requiram. Octavo, causa moralis est non obstans. Non caret scrupulo (suspicione) societatis occulte, qui manifesto facinori desinit obviare, c. 3. dist. 86. & c. 6. x. de Homic. vol. & cas. Denique Nono, est causa talis ac intendit non manifestans. Quisquis metu cujuscunque potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat: quia magis timet hominem quam Deum. Item: Uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat; c. 80. xi. q. 3.

XVIII. S. Paulus Rom. i. ult. consentientibus in flagitia æque, & magis etiam, quam facientibus, iram Dei denuntiat. Ubi omnes consensionis species hoc vocabulo, & uno isto causæ moralis modo cæteros tacite declarari, in Commentariis Theodoro Beza, Benedicto Aretio, & jam olim S. Ambrosio observatum. Indicantur nempe illi, qui, quemadmodum Ambrosius loquitur, facientes collaudant, vel re & consilio adjuvant, vel ad minimum, quantum in se est, non impediunt, neq; reprehendunt. Quo Aretius merito refert, qui defendunt sceleratos. Hi enim omnes consentire dicuntur. Atque id ex Apostoli græcanico; συνδοκῶσι; intelligitur: quod non simplicem consensum, sed approbationem, applausum, & patrocinium significat. Unde Chrysostomus exponit, ἐπαυῶσι; & Theo-

Theo-

Theophylactus, συνηγορησιν. S. Hieronymus hic addit, consentientem in scelus, unde delicta alia proficiscuntur, istorum quoque causam esse, licet ea expresse non voluerit. Qui, inquit, in istis (in aliis peccatis) non consensit (directe,) tamen idololatriæ consentiendo, quoniam horum caput & causa est, omnibus implicite & indirecte consensisse videtur.

XIX. Signate autem supra dixi, causam moralem esse, num. 110 & moraliter movere, qui cum effectu, sive ita ut effectus sequatur, consulat, consentiat, svadeat, mander: si enim consilii, consensus, & mandati successus nullus sit, ipse causa moralis proprie non est, licet quandoque in foro pro ratione circumstantiarum instar talis haberi, & vel ob dolum ac pravam intentionem puniri, vel ob rectam encomio ornari & præmio affici possit. Hinc Thomas in Sec. secundæ qu. LXII. a. VII. ad 11: *Quando aliquis præcipit injustam acceptionem, quæ non sequitur, non est restitutio facienda, cum restitutio principaliter ordinetur ad redintegrandam rem ejus, qui injuste est damnificatus (damnum passus.)* Gregorius de Valentia tom. III. disp. V. q. VI. punct. III: *Certum est, requiri ut censeatur aliquis vere causa acceptionis rei alienæ, atque adeo teneatur hoc nomine restituere, ut effectu ipso res aliena fuerit ablata: alioqui nulla nascetur obligatio eam restituendi, quantumcunque quis in ejus ablationem consenserit, aut de ea consilium vel mandatum dederit.* Statuit Imperator §. interdum quoq, *Instit. de oblig. quæ ex del. nasc.* nonnunquam *furti teneri, qui ipse furtum non fecerit; qualis sit is, cujus ope & (particulâ hac disjunctive acceptâ) consilio furtum factum est.* Ad quæ Ludwellus & alii notant, id solum valere, si factum secutum fuerit. Apponit paulo post Imperator: *Qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, sed tantum consilium dedit atque hortatus est ad furtum faciendum, non tenetur furti.* Quod verum esse eo casu Interpretes dicunt, & isto pacto textum hunc cum priore conciliant, quando furtum reapse secutum

secutum non est: si enim secutum sit, consultorem causam
moralem existere, eoq; furti omnino teneri. Pariter causa
hujusmodi tantum censetur, qui *cum effectu* rogat, intercedit,
spondet, satisfacit & meretur, aut impedimentum removet
quod si enim roges & intercedas, nec impetres tamen, vel
spondeas, satisfacias & merearis, sed frustra & irrito conatu,
moralis alicujus effectus causa proprie & actu ipso non es.

XX. Atque de consulente, consentiente, rogante, ju-
bente, & cæteris, dubium non est, quin causæ morales sint.
De meritoria vero non omnibus æque certum videtur. Cum
enim hæc considerari queat, vel ut actu ipso meretur, vel ut
ob virtutem meriti infinitam semper se habet, ac si merere-
tur actu; dicunt quidam, constitui eam, utroque modo ac-
ceptam, aut in actu merendi physico, aut in actu merendi
morali; & priori ratione per actionem physicam meritoriam
esse; ut, quando servus manuariis operibus herum ad mer-
cedem solvendam movet: posteriori vero meritoriam esse
moraliter; ut, cum consiliarius consilia subministrando prin-
cipis gratiam & munera promeretur: atque causam quidem
meritoriam in actu merendi morali, esse moralem, quæ vero
talis est in actu physico, esse physicam, quia per physicam
actionem influat in effectum, nempe obligationem ad solven-
dam mercedem: & sic non omnem meritoriam ad causæ
moralis censum pertinere.

XXI. Verum enim vero, quomodo qui ligna findit,
aut manum aratro admovet, in mercedem ejusque retributio-
nem, vel in obligationem & impulsionem ad mercedem
solvendam reali actione influat? Sane qui actione reali effe-
ctum non attingit, physice quoque in eum non influat, eo-
que nec causa ejus physica est. Sed servus manuariam ope-
ram præstans, actione reali non attingit mercedem & solutio-
nem ejus, vel obligationem & impulsionem ad hanc erogan-
dum,

581

dum, licet actione reali alium quendam effectum attingat. Ergo. Probatur Minor: nam qui meretur, & merendo obligat alterum, sæpe tam procul ab illo est, ut, tametsi velit, attingere nec substantia & entitate, nec virtute sua possit. Deinde obligatio non pendet ex actione quatenus est actio, sed ex valore & bonitate ejus vel vera vel apparente, & proinde actione reali non efficitur, sed est effectus moralis ex qualitate actionis resultans & dependens. Nulla igitur causa meritoria, qua talis, physica est. Agit quidem sæpe aut patitur aliquid physice, quo meretur, & propter quod causa moralis dicitur, sed actione illa vel passione non attingit effectum, cujus meritoria causa vocatur. Vnde distincta esse possunt, causam meritoriam aliquando *constitui in actu merendi physico, & physice attingere id, cujus meritoria causa dicitur.* Prius enim verum est, si sensus sit, causam meritoriam quandoque constitui in actu physico, cujus valori & bonitati meritum tribuatur, & ob quam alter obligetur. Si tamen alicui *constitui in actu physico merendi, idem fuerit, ac physico actu sic mereri, ut illo effectus, qui formaliter est à causa meritoria, attingatur; coincidit cum posteriori, & propterea negamus, in actu ejusmodi causam illam, quatenus talis est, unquam constitui.* Sequitur ergo, omnem causam meritoriam esse moralem.

XXII. Et sic Svarezius in Metaph. disp. xvii. s. ii. n. vi: *Causa quæ moraliter tantum seu imputative causat, — semper est aut causa non impediens, cum possit ac debeat, aut causa applicans causam per se (physicam) vel inducens illam, sive per consilium, sive per preces, sive per modum meriti.* Johannes item de Rada in iv. Sent. contr. iii. art. iii. observ. v. ad opinionem Scoti: *Causalitas moralis est, quæ præcipiendo, consulendo, & persuadendo, & merendo fit: præceptio vero, consilium, persuasio, & meritum non attingunt naturam effectus causati.* — Pretium ex-

hibitum pro redemptioe existentis in vinculis, est causa moralis liberationis ejus à vinculis. Idem B. Scheiblerus capite III. Topi-
corum num. cxxxiv. & B. Slevogtus disp. de Causa Morali n.
LXXIIX. expresse docuerunt. Hujus generis, inquit ille, (loqui-
tur autem de causa morali) causæ, sunt causæ consulentes, rogan-
tes, non impediennes cum possunt & debent, MERITORIÆ, appli-
cantes causam per se, & quæ sunt his similes. Ilte: Quinto, causa
moralis est illa, quæ agens physicum ad agendum movet, vel per mo-
dum meriti, vel per modum satisfactionis, vel per modum impetra-
tionis. Quocunque autem modo moveat, semper velut obligationem
quandam inducit ad conferendum effectum, idque vel ex se, vel ex
promissione. Neque dissentit B. Stahlius, cujus verba Tabu-
lâ Metaph. VI. & Discursu ad eam, hæc sunt: *Moralis in effe-
ctum non influit realiter, ita tamen se gerit, ut intuitu effectus culpa
aut meritum in ipsa resideat.* Fonseca lib. VII. Instit. Dialect.
c. XXI. notat, *causas meritorias ad efficientes à Theologis revocari.*
Et Philippus Melanchthon in Locis Theol. de Peccato Orig.
Dicuntur, inquit, & efficientes causæ, quæ merentur aliquid. Non
definiunt tamen, num ad phycas, an morales sint referendæ.
Alii etsi neutrò proprie, sed ad impulsivam pertinere, eoque
causæ meritorie causalitatem etiam à morali diversam pu-
tant, fatentur tamen, tam arctum inter causas istas esse nexum,
ut vix dari meritoria possit quin sit alicujus moralis causalitas:
de quo ita Dn. D. Petrus Musæus c. xxvi. Inst. Metaph. §.
xxxvi: *Agentis liberi bene vel male factum est causa meritoria, sci-
ticit si consideretur, quatenus bonitate vel malitia sua aliam causam
ad agendum movet: at si referatur ad ipsum agens cujus est factum,
& ejus ex intentione aestimetur; puta quod agens, tale quid faciendo
eundem effectum, si non directe, saltem indirecte intendat, quem
postea factum bonitate vel malitia sua provocat: hac ratione, ut
agens causa moralis est propositi effectus, sic factum ipsum sub directa
vel indirecta effectus intentione, ejus est causalitas.* Exemplo sit
Servato-

582.

Servatoris nostri mors & passio. Ea si consideretur, quatenus infl-
nito suo valore Deum movet ad remittenda nobis peccata, & pœni-
zentes credentesq; justos pronuntiandos, remissionis peccatorum &
justificationis nostri causa meritoria est: at si comparetur ad Chri-
stum patientem ac morientem, & ejus ex intentione aestimetur; sic
— sub directa talis effectus intentione, est ipsius ut causa moralis
causalitas. Similiter malefactum sive peccatum, si spectetur, qua-
tenus malitia sua judicem ad decernendam & infligendam pœnam
moveret, est pœnæ causa meritoria: at si referatur ad ipsum peccan-
tem, quoniam is peccando pœnam saltem indirecte intendit, utique
tali sub intentione ejus veluti causæ moralis causalitas est, Hæc ille.
Nos nunc ad cætera pergimus.

XXIII. SECVNDO igitur, ad causam physicam ne-
cessaria est existentia ejus, non item ad moralem. Quæ dif-
ferentia ex priori dependet. Nam quod non nisi actione
reali efficit, & ipsa entitate sua effectum attingit, id non potest
non realiter existere: non entis enim nulla vera entitas & ope-
ratio est. Atqui causa physica non nisi actione realiter efficit, &
ipsa entitate sua effectum attingit. Ergo non potest non existere
realiter. Ex adverso quod influit quidem, sed non realiter &
per propriam entitatem, verum quomodocunq; movendo
causam efficientem physicam ad effectum producendum, id, qua-
tenus tale, non est necesse existere actu. De causa morali sic
comparatum est, uti patet. Ergo. Majorem probo exemplo
causæ finalis. Ea influit, non vero realiter, sed movendo
quomodocunq; & in suo genere, nimirum motione meta-
phorica, causam efficientem ad edendam actionem, & tamen
non omnem finem actu existere, notum est, & docet is, qui
peculiari nomine *efficiendus* dicitur. Quod si ergo fini non
obest carentia realis existentia quo minus causa sit, non obstat
etiam causæ morali. In eandem sententiam Tenzelius supra
nominatus: *Interdum dicitur causa moralis, quod nondum actu* ^{loc. cit.}
existit

existit. Nam posse esse veram & realem causam, quæ actu non existit, testatur finis, qui vera & realis causa communi consensu dicitur, actu tamen nondum existit, & interdum, ubi actu obtinetur, privatio est. Quale igitur esse habet illa causa moralis in se, tale quoque esse habet in ratione causæ. Habet autem esse objectivum in intellectu illius, quem movet ad agendum. Atque ea propter magna est, quod & supra jam monuimus, inter causam finalem & moralem affinitas. Uti enim finalis non realiter, sed motione metaphorica causat, sic moralis item non realiter, verum morali motione efficit. Et sicut aliquid finis esse potest, etiam quando non existit, ita ad hoc ut quid causa moralis sit, non requiritur ejus existentia.

XXIV. TERTIO, causa physica effectum consequi sine morali potest, non rursus moralis absque physica. Influit enim moralis per physicam, & hac negata seu non influente, illa quoque non ponitur & non influunt; physica autem à morali in causando non perinde dependet. Sic incendiarius effectum sine igne producere nequit, & ab hoc totus pendet in causando; non contra ignis ad exercendam causalitatem suam requirit influxum incendiarii, aut in ea dependentiam omnem ab illo habet; quia procul existente, imo extincto incendiario, iste nihilominus physice & realiter influere potest. Si opponas, artificem, quatenus agere intendit, esse subsequenti effectus causam moralem, non vero mediante physica influere: respondebo, artificem ratione intentionis esse quidem causam moralem effectus sui, sed tamen simul causam ejus physicam, prout intentionem comitatur aut consequitur influxus realis artificis, quo effectus physice producitur: quando autem idem subjectum moralis & physica causa est comparatione ejusdem effectus, formales causarum istarum conceptus distinguendos, atque dicendum esse, subjectum illud, uti intendit ac causa moralis est, movere

movere se ipsum, in quantum est causa physica, & realiter influit, ad effectum producendum: adeoque artificem, opus suum intendentem, & se ipsum isto voluntatis actu ad realiter exequendum moventem, mediante physica causa effectum obtinere.

XXV. **QVARTO**, Physicæ, qua talis est, non imputatur effectus in laudem & præmium, culpam & pœnam; imputatur vero ita sæpenumero morali. Nam quando per naucleri ignaviam aut malitiam, navis & quæ ea vehuntur bona, à procellis disturbantur & diripiuntur, naufragium non ventis, sed nautæ ad vituperium imputatur. Notanter de causa physica, uti est talis, loquor: quando enim simul moralis est, effectum ei imputari non nego. Deinde sermo est de imputatione in laudem & præmium, culpam & pœnam: nam generaliter omnis effectus causæ suæ imputatur, sed soli morali, quamvis non simpliciter omni, in laudem vel vituperium. Quod Dn. D. Petro Musæo quoque annotatum cap. XIII. Instit. Metaph. n. XLII. ubi quum dixisset, necessarium causæ moralis consequens esse imputationem effectus, boni quidem ad laudem & præmium, mali vero ad culpam & pœnam; subjicit: *Quem in modum causæ physicæ, qua tali, effectus imputari nequit: neque enim influxus in effectum per se & absque intentione laudabilis vel vituperabilis est.*

XXVI. Denique **QVINTO**, causa physica nonnunquam naturalis, aliquando autem libera est; sed moralis, si non omnis, certe principalis, semper libera existit. Cuius asserti priori membro exempla facile fidem faciunt. Ignis generans calorem causa efficiens physica est, & non libera, verum naturalis: architectus autem sic physica est ædificii causa, ut sit libera. Et causam omnem moralem, præsertim principalem, liberam esse, patebit, si per singulos causæ moralis modos eatur: nihil enim svadere, consulere, rogare, spon-

D dere,

dere, jubere, & simili ratione se habere potest, nisi operandi libertate polleat: quia talia ex proæresi fiunt, quæ vim intelligendi & volendi supponit. Hæ præcipuæ sunt, exque genuinæ inter causam physicam & moralem differentia, multis magnisque Philosophis probatæ.

num. 28. XXVII. Alii causas istas sic differre dicunt, quod physica proprii nominis, moralis vero improprie dicta causa, & ut quidam eorum censent, nihil aliud nisi causa sine-qua-non sit. Sed turpius hallucinantur, ait Slevogtus Exercitatione memorata, quam ferri possit, qui causam moralem pro causa sine-qua-non habendam ducunt. Illa enim (saltem principalis) semper est agens liberum, hæc non item: illa semper aliquam habet causalitatem in ordine ad effectum, hæc vero nunquam. Et Corollarium disputationi de Principio syllogizandi in Divinis, quæ inter theoreticas XIII, est, subjuncto: *Hos limites inter causam veram ac per se, & inter conditionem vel causam sine-qua-non, consensus orbis literarii posuit, ut vera causa & per se ea dicatur, quæ effectum vere causat mediante causalitate vel physica vel morali: conditio autem sive causa sine-qua-non, quæ effectum non causat, nec physice nec moraliter, sic tamen se habet, ut vera causa suum effectum sine ea causare non possit. Ubi duo ad conceptum conditionis vel cause sine-qua-non requirit. 1. ut nullam causalitatem exerat respectu effectus, in ordine ad quem conditio vel causa sine-qua-non dicitur, 2. ut, licet ad causam per se necessaria sit, utpote sine qua effectum causa per se producere non possit, ad ipsam tamen causalitatem vel productionem effectus se habeat velut per accidens. Hos limites posuit unanimis Doctorum consensus, quos movere nemini hominum licet, perinde atque non licet rustico, ut sepem moveat sine vicini sui consensu. Nec quisquam eruditorum permittit, ut pro vera causa & per se habeatur, quæ est tantum conditio sine-qua-non, vel pro conditione sine-qua-non tantum, quæ est causa vera & per se; quemadmodum vicani non credunt fundum esse Pauli, qui est Johannis,*

Johannis, vel Johannis, qui est Pauli, quantumvis id Prætor pagi dicat. Fieri igitur non potest, ut idem respectu ejusdem effectus simul sit causa per se, & conditio sine qua non. Nam sic oporteat, ut respectu ejusdem effectus exerat causalitatem & non exerat: exerat, quatenus causa per se; non exerat, quatenus causa sine-qua-non. At causare & non causare sunt contradictoria, quæ de eodem respectu ejusdem per nullam potentiam possunt verificari. Si itaque aliquid respectu alicujus est causa vera & per se, jam non est conditio sine-qua-non: si autem est conditio sine-qua-non respectu ejus, jam non est causa vera & per se. Ista omnia celeberrimus Slevogtus. Quæ doctrina quoque summi & judiciosissimi Philosophi ac Theologi D. Conradi Horneji τὸ πρῶτον ἐν ἀγίοις fuit. Ita enim in Re- petitione doctrinæ veræ de necessitate B. O: *Causa moralis, ut num. 230, notum est, vera causa est, conditio non est causa, sicut etiam causa sine qua non vera ac proprie dicta causa non est.*

XXIIX. Atque causam moralem veram esse causam Wite- bergæ Jacobus Tentzelius disputatione jam allegata, nempe primâ de Causa Morali, amplissimo Collegio Philosophico con- sentiente & approbante edita, num. xiv. sic satis recte demon- stravit: *Quicquid, inquit, vere dat esse effectui (saltem uti revera, seu citra mentis operationem, ad illius productionem aliquid confert, quemadmodum paulo post eadem thesi declaratur) id vere (non semper quidem physice, sed tamen præter intel- lectus negotiationem) influit in effectum, adeoque vera causa est. Causa moralis vere dat esse effectui (id est, revera & citra mentis operationem ad illius productionem aliquid confert.) Ergo causa moralis vere influit in effectum, adeoque vera causa est. Inde rursus thesi sequenti: Causa igitur moralis, ait, vera & realis causa est. Et num. xvii: Est nobis causa moralis vera causa efficiens. Et si causa moralis vera causa non est, cur incendia- rius, & qui alterum toxico extinguit, supplicio afficitur? Cur nauta, quum naufragium avertere sive impedire po- tuit,*

tuit, nec fecit tamen, reus agitur, & pœnam luit? Spuria itaq; est differentia, qua causa physica à morali discriminatur, quod illa vera ac realis causa sit, hæc non sit: quāquam etiam celeberrimus Dn. Ebelius in Comp. Met. disp. x. num. x. negat, *moralem vere & proprie dictam causam esse.*

XXIX. Balthasar Tellez parte II. Summæ Philos. disp. xxvi. sect. I. proposita causæ efficientis in physicam & moralem distributione, solam *physicam* rursus in *principalem* & *instrumentalem* dividit. Cujus proinde judicio physica & moralis in eo different, quod physica tantum, non vero moralis, principalis aut organica existat. Idem aliis nonnullis placet. Sed etiam hoc discrimen germanum non est. Nam minister heri sui instrumentum est in opere efficiendo, secundum Aristotelem I. Polit. IV: & Prophetæ ac Apostoli instrumenta erant Dei in productione miraculorum; suntque etiamnum præcones verbi in curanda hominum conversione ac salute. Non autem in illos ratio instrumenti physici competit, cum reali operatione effectum supernaturalem non attigerint, aut attingant, veluti ad instrumentum ejusmodi requiritur. Solum igitur superest, esse eos instrumenta in genere morum, sive causas instrumentales morales, quia inter causam instrumentariam physicam & moralem tertium ac medium genus non datur. Bene Cl. Stahlius part. II. Reg. Phil. disp. VI. de Instrum. reg. IV. num. XIII: *Sicut causa efficiens duplex est, physica & moralis: — ita aliud est instrumentum causæ physicae, quod optime propterea physicum dici potest; aliud causæ moralis, quod & ipsum nomen instrumenti moralis meretur.* Jam porro uti instrumentariæ causæ sunt in genere morum, sic & in eodem principales esse oportet, eas nempe, quarum sunt instrumentales, & quæ istis in effectu exequendo utuntur.

XXX. Hisce probe observatis, haut erit, opinor, difficile judicare de quæstione, *Num Mors & Meritum Christi physica*

585

*physica sint, an moralis, justificationis & salutis nostræ causa? Dicendum videlicet est, non esse causam physicam, sed moralem. Ubi tamen, priusquam assertionis hujus membra demonstramus, monendum venit, (1) mortem & meritum Christi non tam causam esse, quam causalitatem in ordine ad justificationem ac salutem hominum. Christus enim principium quod redemptionis & beatitudinis nostræ est. Redemit autem, & beatitudinem acquisivit sanguinis sui profusione ac morte, tanquam actibus meritoriis. Hi igitur sunt principium quo, sive medium & ratio salutis reparandæ, h. e. causalitas ejus in ordine ad effectum istum. Unde ad id significandum Scriptura in hoc negotio interdum Christum casu recto, vel æquivalente loquendi modo, sanguinem verò ac mortem ejus obliquo effert. Act. xx, 28: *Deus (Christus) Ecclesiam acquisivit per suum illum proprium sanguinem.* Rom. v, 8. 9. 10: *Christus pro nobis mortuus est, & justificati sumus ejus sanguine, & reconciliati Deo per mortem Filii ejus.* Ephes. 1, 7. Coloss. 1, 14: *Christus ille est, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem, inquam, peccatorum.* Hebr. xi, 14. 15: *Ipsè (Christus) per mortem suam abolevit diabolum, & liberavit nos, utpote damnates servitutis.* Interim fit nonnunquam, ut principium quo, actui dico vel rei, qua aliquid efficitur aut acquiritur, in casu recto illud ipsum attribuat: quomodo II. Sam. xi, 25. *gladius consumere*; Ps. LII, 4. *lingua improbi pravitates cogitare, & dolum facere*; Ps. xxv, 15. *oculi mentis Davidis Deum respicere*; Luc. II, 30. *oculi corporei Simeonis salutare Dei vidisse dicuntur.* Atque hac loquendi ratione, qua principium quo nomen suscipit principium quod proprie competens, mors & meritum Christi causa vocantur justificationis ac salutis nostræ. Quomodo Johannes ep. I. c. I, 7: *Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato.* Hebr. ix, 14: *Sanguis Christi purgabit conscientiam nostram à mortuis operibus.**

(2) Vocabulum *Meriti* dupliciter capi; *primo*, pro actu meritorio, seu tali, quo quis aliquid mereri intendit, aut reapse meretur: *deinde*, vel pro termino & fine, in quem actus ille fertur, & propter quem suscipitur; vel pro eo, quod quis re ipsa & efficienter meretur. Quum meritum Christi causa dicitur nostræ cum Deo reconciliationis ac salutis, vox accipienda priore est significato; non quidem cum respectu ad justificationem & salutem, tanquam ad finem: ita enim meritum *Causatum* potius est, utpote medium, ad finem consequendum aut introducendum faciens: sed cum ordine ad eam tanquam ad effectum. Tunc enim demum causa (nomine eo, ad causalitatem quoque porrecto) vel physica vel moralis dici poterit.

XXXI. Cæterum Christi mors & meritum, uti jam indicavimus, non physica, verum moralis justificationis ac salutis nostræ causa est. Probo prius. Quicquid physica & reali actione, ac per suammet entitatem, non influit in aliquid, id non est causa ejus physica. Atqui mors & meritum Christi physica ac reali actione, & per entitatem suam in justificationem & salutem hominis non influunt. Ergo non sunt causa ejus physica. Minor patet, quia meritum & mors Christi ante incarnationem ejus physice & realiter non fuere: physice autem agere præsupponit physice esse: neque quo tempore suscipiebantur & peragebantur, physice attigerunt justificationem & salutem hominum; quod multi pridem demortui, multi nondum nati, multi procul, nulli vero tam prope essent, ut physico quodam modo salus eorum ab illis, præsertim morte, tanquam privatione, potuerint contingi: non etiam posteaquam Christus sublatus in cælum est, ea physice durant. Unde quoque physica & reali actione in justificationem & salutem ullius hominis influere non potuerunt, nec hodieque possunt. Breviter: cum necessaria causæ
physicæ

586.
physicæ requisita sint, actu existere, & physica actione seu propria entitate ad effectum concurrere; aut mors & meritum Christi non est physica hominum justificationis & salutis causa, aut jam tum tempore V. T. Christus in unitatem personæ carnem, ceu in qua meruit & mortuus est, assumpsit, & hodiernum patri suo agendo & patiando obedientiam pro nobis præstat, legem implet, atque moritur. Quod quia cum fide Christiana pugnat, alterum illud utique est statuendum.

XXXII. Probo etiam posterius: Quæ causa efficiens physice & realiter in effectum non influit, sed tantum conferendo aliquid, & movendo physicam ad effectum producendum, ea est moralis: nam nulla media est inter physicam & moralem efficiens causa. Atqui mors & meritum Christi physice & realiter in justificationem & salutem hominum non influunt, veluti modo vidimus, conferunt autem eo plurimum, & infinito valore suo movent Deum, ut hominem in gratiam recipiat, justificet & salvet: intuitu enim meriti hujus, tanquam olim præstandi, Deus justos pronunciavit, qui sub veteri lege vixerunt; & tanquam jam reapse præstiti eos, qui vivunt sub nova. Ergo mors & meritum Christi moralis sunt justificationis & salutis nostræ causa.

XXXIII. Deinde, qui effectum directe intendit, & propterea causam physicam rogando, intercedendo, satisfaciendo, ad producendum permovet, is causa moralis est effectus. Atqui Christus justificationem & salutem nostram directe intendit, & Patrem suum ut justos nos pronunciaret atque æternum bearet, rogavit, ejusque justitiæ merito & morte sua satisfecit. Ergo Christus, ejusque meritum & mors, causa moralis sunt justificationis & salutis nostræ. Cui argumento istud, quod affine illi est, adjungimus: Omnis causa meritoria est moralis; quemadmodum paulo ante demonstravimus, productis etiam clarissimorum Virorum
Iustia.

suffragiis. Christus *Ἰεσὺς Χριστός*, sive passio & mors ejus, est causa meritoria justificationis & salutis nostræ. Ergo utriusque est causa moralis.

XXXIV. Præterea, quæ causa effectum dignitate propria, & actionis aut passionis suæ valore, à causa physica impetrat, ea est causa moralis effectus. Causa enim impetratoria moralis est, non physica. Atqui Christus justificationem & salutem nostram dignitate sua propria, suæque obedientiæ, & passionis ac mortis valore à Patre, tanquam à causa physica, impetravit. Est igitur unà cum obedientia, passione & morte sua, causa moralis justificationis & salutis nostræ.

XXXV. Denique, cui causæ effectus ad laudem & gloriam imputatur, ea moralis est, non physica. Atqui Christo ejusque merito & morti justificatio & salus humani generis ad laudem & gloriam imputatur. Ergo Christus cum merito & morte sua, moralis est, non physica, justificationis & salutis hominum causa.

XXXVI. Dicam summam. Quodcumque est vera & libera causa, non influit autem physica & reali actione, sive per entitatem propriam, in effectum, sed nihilominus tamen eum directè intendit, consequi vero sine physica non potest, & inde hanc efficaciter movet, ut realiter producat, adeoque effectus in laudem ipsi imputatur, non aliter ac si physice influxisset, illud est causa moralis effectus. De Christo ejusque merito & morte respectu justificationis & salutis nostræ, sic comparatum est. Est enim sane vera justitiæ & salutis humanæ causa, in eamque libere influit, non tamen per propriam entitatem, physica eam actione attingendo, sed per directam intentionem, & Deum patrem merito ac cruenta morte sua movendo, ut quotquot eam apprehendunt & sibi vera fiducia applicant, reapse justificet & aliquando beet: atque inde effectus iste ipsi imputatur in laudem & gloriam,
haud

587.

haud secus ac si physice produxisset. Christus ergo cum merito & morte sua moralis est justificationis nostri coram Deo, & salutis æternæ causa.

XXXVII. Objicis: Sanguinem ac mortem Christi non esse causam liberam, & proinde nec moralem salutis nostræ. *R.* Sanguinem Christi posse considerari dupliciter: 1. in se, & pure ut sanguis illius est. 2. uti pro peccatis hominum effusus. *P.*riori modo eum non esse aliquid liberum concedo: cæterum illo etiam non est satisfactorius, sive non est causa moralis & meritoria salutis hominum. *P.*osteriori vero satisfactorius, ac causa talis existit; & secundum illum omnino rationem liberi ac voluntarii habet: non enim Christus vel coacte & invitus, vel necessario pro nobis sanguinem suum fudit, sed prorsus libere; & ita actus effusionis sanguinis ejus, vel sanguis quatenus pro nobis effusus, recte liber & causa libera hoc in negotio dicitur. Similiter Mors Christi consideratur 1. mere ut vitæ privatio, 2. uti actus meritorius est. Et altero hoc respectu causa moralis est ac libera nostri justificationis ac beatitudinis: quia ut libere sanguinem suum Christus emisit, ita & libere mortuus fuit. *Ego depono animam meam*, ait Servator ipse Joh. x, 17. 18. *ut eam rursus assumam. Nemo tollit eam à me, sed ego depono eam per me ipsum. Auctoritatem habeo deponendi eam, & auctoritatem habeo rursus eam assumendi. Quæ mera moriendi libertas.*

XXXIIX. Dicis item: Filium Dei lavisse nos à peccatis nostris per sanguinem suum, Apoc. i, 5. Ebr. ix, 14. 1. Joh. i, 7. Lavare autem sanguine esse actum physicum, physiceque adeo peccatorum veniam, justificationem & salutem nostram attingere. *Resp.* Locutio ista metaphorica est, similis illi Davidis Ps. li, 4. 9: *Multum ablue me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. — Expiato me byssopo, ut mundus sim, abluo me, ut præ nive albescam.* Quo loco sicut ablutio figurate capitur,

E

peccato-

in Apocal.
& 1. Ep.
Joh.

peccatorum remissionem significans; ita pariter cum Christus sanguine suo nos lavasse dicitur. Quemadmodum enim for-
dibus contaminatus lavari & mundari eget, sic homo pecca-
torum turpitudini obnoxius spirituali modo per meritum
Christi & valorem sanguinis ejus lavandus est & purgandus.
Et *metaphora lavandi ad veteres illas leviticas ablutiones respicit,*
easque declarat fuisse typos hujus spiritualis ablutionis. Abluimur
itaque & emundamur, dum justitia meritumve passionis aut oblationis
ejus, quæ hic per sanguinem significatur, nobis imputatur, seu dum
propitiatorio ejus sacrificio omnia peccata nostra expiantur: inquit
Flacius in Glossa compendiaria. Appono etiam quæ B. D.
Timotheus Kirchnerus Enarratione capituli LIII. Esaiæ in hanc
rem, & ad isthæc quidem verba: *Sic asperget gentes:* commen-
tatus est. *Inest verbo (aspergere) metaphora,* ait. — Nam omnes
aspergiones veteris Testamenti præfigurabant partim ipsam effusionem
sanguinis Christi, partim ministerium prædicationis Evangelicæ in no-
vo Testamento, per quod Christus aspersurus erat gentes; seu per quod
applicaturus erat & distributurus gentibus beneficia sua, seu pretio-
sum sanguinem, quo universum genus humanum redemit. Ut enim
leviticus sacerdos semel quotannis cum sanguine ingrediebatur in
sanctum sanctorum, & sanguine omnia expiabat: ita Christus semel
effudit pretiosum suum sanguinem in passione & cruce, quo deinceps
per prædicationem Evangelii & sacramenta omnes credentes asper-
git & mundat à peccatis. Addatur D. Hieronymi Kromayeri
Commentarius in cap. 1. Apocal. & B. Glassii Rhetorica Sa-
era tr. 1. c. XIII. Ut proinde ablutio à peccatis per sanguinem
Christi actus physicus non sit, nec physice justificationem &
salutem nostram attingat. Et quomodo physice attingere
salutem eorum potuit, qui sub V. T. servati sunt? nam tunc
sanguinem Christus physice non fudit: vel quomodo hodie
physice nostram attinget, postquam jam pridem sacratissimus
ille sanguis desuit corpori Servatoris detrahi?

XXXIX. Di-

XXXIX. Dicitur porro, Christum esse agnum ab origine mundi maclatum, Apoc. xiii, 8. maclatum scilicet pro peccatis nostris, ut Deo reconciliaremur; maclationem autem illam esse aliquid physicum, & proinde physice justificationem & salutem hominum attingere. Resp. i. Integer textus sic habet: *Adorabunt eam (bestiam) omnes incolae terrae, quorum non sunt scripta nomina in libro vitae agni illius maclati jam inde à jacto mundi fundamento.* Areta, priscaevi scriptor, commentario in hunc locum, eum per hyperbaton intelligendum esse, ait; ut sit hic sensus: *Quorum non sunt scripta nomina ab origine mundi in libro vitae agni, qui occisus est. Siquidem quorum scripta sunt, ab origine mundi scripta sunt: Ita enim oportet intelligere, non ut scriptura habet: quia neque ab origine mundi facta est agni occisio.* Sic Areta; quem præter alios sequuntur Franciscus Junius in Notis, & Sixtinus Amama lib. iiii. Anti-Barbari Biblici ad Prov. iix, 22. Sebastianus quoq; Castalio in Versione sua ita: *Quorum nomina ab orbe condito scripta non sunt in vitae libro agni maclati.* Et videtur idem Isidorus Clarius in Scholiis velle: Sic enim ex Hugone de S. Victore explicat: *Hoc est, ii, qui fuerunt ab initio seculi, quod est, ad redemptionem, ad salutem, ad reconciliationem eorum, qui fuerunt ab initio & origine mundi. Ut per hoc, quod dicitur: ab origine: determinetur tempus non occisionis, sed salutis.* Ac sane in græcis quibusdam codicibus verba ita interstincta leguntur, ut turbatus ordo fati sit conspicuus. *ὧν δὲ γέγραπται τὰ ὀνόματα* (alii Codd. τὸ ὄνομα) *ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς ζωῆς τῆς δεξιῆς τῆς ἐσφαγμένης, διὰ καταβολῆς κόσμου:* quam distinctionem in germanico noster retinuit Lutherus. Quod autem Petrus Martyr in volumine suo textum sine nota distinctiva legit, ex eo classe mii. Locor. Commun. cap. xvi. num. xv. minus recte fieri existimat, si partes ipsius in versione transponantur, & postrema aliorum quam ad proxime præcedentem referatur. Deinde

E 2

facit

facit pro interpretatione ista clarissimus locus parallelus Apoc. xvii, 8. ubi eadem pene verba citra trajectionem habentur: ὧν ἔγγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς διὰ καταβολῆς κόσμου: quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi, seu, à jactio mundi fundamento.

XL. Plerique tamen tum veteres tum recentes, verba, uti sine distinctione jacent, accipiunt, & determinationem hanc: *ab origine mundi*: non ad scriptionem nominum in libro vitæ, sed ad maculationem agni referunt. Verum etsi ita exponas, res nihilominus ipsa loquitur, & fatentur omnes, maculationem illam non fuisse physicam. Maculatus equidem Christus est physice, non autem physice ab origine mundi, sed tempore à Deo præstituto. Et vere stultum esset dicere, Christum crasso externo modo fuisse maculatum ab origine mundi, ait Wolfg. Franzius disp. xvi. Scholæ Sacrificiorum num. xcix. Itaque agnus occisus est ab origine mundi figuraliter, in fine mundi realiter, expositore Richardo de S. Victore parte ii. operum lib. iv. in Apocal. c. iv. Vel dicitur agnus occisus à mundi origine, ratione decreti, quia Deus jam inde à mundi origine, imò ab omni aternitate, decretum fecit de redemptione generis humani per Christi passionem ac mortem, quod in plenitudine temporis tanquam agnus incontaminatus pro peccatis mundi in sacrificium debeat offerri. Haymo in h. l. Certe in prædestinatione occisus est, quia ante omnia secula decrevit Deus Pater in Filio & Spiritu sancto, ut in fine temporum veniret & occideretur, ut sua morte nostram redimeret mortem. — Item, ratione efficaciam, quia virtute & efficaciam reconciliationis per Christum facta omnes credentes V. T. sunt coram Deo justificati & salvati, sicq; hac maculatio profuit antequam fuit, habuit suam efficaciam jam inde à prima mundi origine: verba sunt B. Johannis Gerhardi ad textum istum, & in Comment. ad vers. xxi. Ep. i. Petri. Pari modo Matthias Flacius: Agnum esse maculatum à condito mundo, pluribus de causis dicitur. Primum,

mum,

589

num, quia Deus jam tum & ante proposuit suos eligere & justifi-
care ac servare in Christo, aut per Christum. Deinde, quia Christus
jam tum factus est sponsor & vas omnium in se creditorum, atq;
adeo totius mundi peccata seu debita pœnasque in sese volens rece-
pit, proque eis plenissimam persolutionem patri sancte promisit.
Postremo, quia semper fuit eorum intercessor apud Patrem, semper
oravit pro eis, semper fuit eorum rex & caput, semperque illis me-
ritum, efficaciam ac beneficia sua passionis, atque adeo totius exinaniti-
onis à patre impetravit, & applicuit. Breviter Johannes Thad-
dæus in Conciliatorio Biblico, secutus B. D. Waltheri Har-
moniam Bibl. *Agnus occisus est ab origine mundi, non proprie,
sed figurate, respectu decreti divini, typorum, prædictionum, effica-
cia, acceptionis, non executionis.* Sic illi, & alii plures, quos su-
perfedeo commemorare.

XLI. 2. Si mactatio hæc ab origine mundi realiter
& physice facta est, Christum tunc etiam humanam natu-
ram assumpsisse & in carne extitisse oportuit; quod quidem
falsum esse constat. Est Christus dirâ & cruentâ morte
suâ meritoria salutis humanæ causa, ad quam certe non
requiritur ut actione physica influat in id, cujus causa meri-
toria appellatur, aut tunc, quando meretur, realiter existat.
Qua de re lubet ex B. Stahlî parte II. Regul. Phil. disp. II.
reg. 1. nonnulla apponere. *Christus, inquit, sua passione &
morte peperit iis, qui ante ejus incarnationem vixerunt, salutem &
peccatorum remissionem, tanquam causa meritoria. At ut causa me-
ritoria id, quod meretur, agendo efficiat, necesse non est. Agit qui-
dem aut patitur aliquid, per quod aliud meretur. Atque etiam tum,
quando revera agit, aut patitur aliquid, in quo meriti ratio consistit,
revera existit. Non autem necesse est ut existat, quando existit id,
quod meretur, vel cujus respectu causa meritoria vocatur, quia non
necesse est, ut tunc aliquid agat aut patiatur, quo mereatur, quoniam
aliud esse potest, quod id efficiat, contemplatione istius meriti.* V. g.

S. 17.

E 3

Est

Est civitas quæ à rege vicino quandam accipit pecuniæ summam, ea conditione, ut posteritas elapso definito annorum numero præstet regi angarias. Hic causa meritoria pecuniæ, majoribus suis tradita, sunt posteri, quos tunc vivere necesse est, quando angarias exhibent; tempore vero traditionis pecuniæ, quam olim merituri erant, existere, res non exigit, quod ipsi eam non tradant, sed Rex. Fac igitur 3. mactationem agni jam inde à jactis mundi fundamentis fuisse physicam & physice peractam, non sequitur tamen, physice etiam in nostri justificationem & salutem influere.

XLII. Multo pronius ex dicto hoc fluit, meritum Christi non esse salutis humanæ causam physicam, sed moralem. Si enim immaculatus ille agnus ab origine mundi propter nos & salutem nostram occisus dicitur ratione decreti & prædestinationis, qua Deus ab omni æternitate constituit, ob meritum & mortem ejus credentes justificandi & salvandi; & sic in Christo olim occidendo *electi sumus ante jactum mundi fundamentum, ac in eo habemus redemptionem per sanguinem ipsius*, veluti Paulus ait Eph. 1, 4. 7. sane meritum Christi moralis est actus ad salutem prædestinandi, ac consequenter justificationis & salutis nostræ revera aliquando conferendæ, causa: (qualis enim causa est prædestinationis ad vitam, talis est vitæ & salutis ipsius.) Nam cum decretum illud & actus prædestinationis fieret, Christus carnem nondum assumserat, & passione sua nondum merebatur, eoque physice per obedientiam & mortem prædestinationem causare non potuit; movit autem Deum valore præstandi suo tempore lytri, & fundendi pretiosissimi sanguinis, ut omnes, qui fiduciam in eo posituri essent, tum ad æternam felicitatem prædestinaret, tum reapse etiam olim justificaret, & beatæ vitæ addiceret.

XLIII. Præclare isthæc jam deduxit B. Slevogtus, quem

590.

quem iterum audivisse magnum fuerit operæ pretium. Ita
igitur ille disp. de causa Morali: Si quis in ea fixus sit sententia, th. 82. 83.
ac si meritum Christi & fides fuerint prædestinationis causæ effectri. 84. 85.
ces, ac ad ejus actum concurrerint actione reali per modum causarum
physicarum, non diffitemur, illam nobis perquam videri absurdam.
Quum enim prædestinatio sit actus liber Dei & ab æterno factus,
qua ratione fieri potuit, ut causæ in tempore demum exstitura physi-
ce in illum influerent? Argumentamur igitur sic: Nulla res potest
esse causa physica, & realiter influere in aliquem effectum, ante,
quam existat. Sed meritum Christi, & fides meritum Christi am-
plectens, ab æterno, quum actus prædestinationis esset, nondum exti-
terunt physice. Ergo meritum Christi, & fides meritum Christi
amplectens, ab æterno non potuerunt esse causæ physica, & in actum
prædestinationis realiter influere. — Quod Minorem attinet, cer-
tum est, quod meritum Christi, & fides eam amplexa, nullam ab æter-
no existentiam physicam habuerint, quippe quam in tempore de-
mum acceperunt: quei ergo fieri potuit, ut prædestinationem ab
æterno physice causarent? Nihil enim physice non existens potest
physice causare, quod existit, ut ex terminis constat. Licet autem
prædestinatio, quæ est actus Deo intrinsecus, ab æterno non potuerit
causari physice ab aliqua re in tempore demum exstitura, ab ea tamen
ab æterno potuit causari moraliter, idq; per modum meriti vel satis-
factionis ab æterno prævisæ. Ratio ex antedictis est manifesta: nam
ejusmodi causa moralis potest exercere causalitatem moralem prius,
quam existat physice, quatenus nempe præcognita agens movet ad
aliquid volendum & agendum: quodocunque autem agens unum
facit propter aliud prævisum, jam ejusmodi causalitas moralis datur
existens. Meritum Christi ergo, & fides, quæ illud amplexatur,
prædestinationem ab æterno causarunt, non physice, sed ratione mora-
li, quatenus ab æterno præcognita Deum moverunt ad faciendum
decretum de salvandis iis, quos prævidit in tempore credituros, &
meritum Christi firma fide esse amplexuros. — Causant itaque me-
ritum

ritum

ritum Christi & fides gloriam, ad quam ab aeterno praedestinati sumus, non immediate, sed mediate, nempe movendo Deum, ut non solum ab aeterno velit eam dare nobis, sed re ipsa etiam aliquando det. Et haec est indoles hujusmodi causae moralis, ut in tantum causet effectum externum, in quantum agens ad eum producendum sua vel bonitate vel malitia excitat ac movet: quod nisi faciat, fieri nullo potest modo, ut pro causa morali queat haberi. Si enim volitio illa Dei, qua vult nobis aliquando dare gloriam, non causetur moraliter à merito Christi & fide illud amplexa, sed existat independententer ab his, sane evidens est, meritum Christi & fidem illud amplexam habere non posse ullam causalitatem in gloriam, quia, uti patet, eam non attingunt immediate; si nunc mediate etiam non attingant, nempe interventu volitionis divinae, quomodo causae ejus erunt? Eatenus igitur meritum Christi, fide apprehensum, est causa gloriae ac salutis, quatenus ab aeterno praevisum ob suum valorem & dignitatem allicit Deum ac movet ad habendam volitionem, qua nobis gloriam ac salutem largiatur. Et haec motio est causalitas illa moralis, quam meritum Christi & fides eam amplexa exercent in ordine ad istum effectum. Qui ergo dicunt, Christum ab origine mundi occisum, quatenus ab aeterno mors ejus, & propter hanc credentium justificatio & salus à Deo decreta est, quod modo audivimus fecisse B. Gerhardum, illi re ipsa affirmant, meritum mortemque ejus motalem esse beneficiorum illorum causam.

XLIV. Deinde, si agnus ab origine mundi occisus est ratione efficaciae, uti rursus B. Gerhardus exponebat, sic quidem, quia mactatio in temporis plenitudine facta jam inde à mundi primordiis vim justificandi & servandi habuit, & profuit virtute sua antequam realiter fuit; quis non videt, efficaciam illam esse moralem. Quomodo etiam Amplissimus Dn. D. Titius noster interpretatur Disput. de Pactis Legali & Evangelico n. XI. Valuit, inquit, meritum Christi, ut ut
nondum

591.

nondum actu existens, tamen mente & fide apprehensum, ceu suo tempore extitutum, etiam retrorsum. Hinc dicitur Apocal. XIII, 8. de agno, quod sit maclatus ab origine mundi, ratione nimirum efficaciam moralem, quam per fidem apprehensus, à lapsu inde Adami jam tum habebat. Quod nihil aliud est, quam mortem Christi vera fide apprehensam moralem esse salutis humanæ causam.

XLV. Atque eadem, quam nos tuemur, sententia plurimum aliorum est, quamvis non omnes isthoc in negotio terminis technicis *causæ physicae & causæ moralis* utantur. Quis nescit, Theologos passim docere, meritum Christi causam esse impulsivam externam justificationis & salutis nostræ? Certe tam notum illud est, ut supervacaneum arbitremur testimoniis fidem facere. Hæc autem causa realiter non influit in effectum, sed tantum agens ad operandum metaphorice movet, scilicet per modum causæ finalis. Ergo etiam secundum Theologos meritum Christi realiter in justificationem nostram & salutem non influit, siue causa ejus physica non est.

XLVI. Porro, B. Ægidius Hunnius *Quæstionibus & Responsis de Justificatione*, non procul ab initio: *Christi meritum*, ait, *causarum ordine fidem nostram antecedit, etiam si in Patribus ante natum & passum Messiam fides illorum (temporis ratione) prior extiterit passione Domini, quippe in quam venturam respiciebant illi. Interim si causarum ordinem spectes, coram Deo justificante, (qui extra temporis rationem filii sui meritum aspicit) passio filii prior est. Quemadmodum etiam, si causarum & effectuum ratione ponderes, prior est natura passio Christi salute Patriarcharum (hæc enim à passione Christi tanquam effectus à sua causa dependet) quantumvis si temporis prioritatem spectes, Patres salutem illam adepti sunt, antequam pateretur Dominus, imo antequam in orbem nasceretur. Quod si meritum & passio Christi tempore Patriarcharum.*

triarcharum realiter non extitere, & tamen in ordine causarum priora fuerunt eorum fide (quæ realiter existebat) & quoad causæ & effectus τὰξιν, priora eorundem salute, meritum illud & passio non sunt causa physica ipsorum justificationis & salutis. Nihil enim causa physica alicujus est, nisi realiter existat. Quia autem nihilominus causa salutis eorum, ac eatenus hac quoque priora recte censentur, uti scilicet illorum intuitu Deus Patres justificavit, & gloriæ suæ participes fecit; alia profecto non fuerint, quam moralis.

fol. 302.

XLVII. Idem Hunnius in Anti-Pareo priori, exponens locum Zachariæ IX, II: *Reprehensione justa, inquit, non vacat, quod quæ dicuntur expresse de Messia sanguine, immediate exponuntur de sanguine brutorum animalium in sacrificiis, cum omnino proxime & immediate agatur de sanguine Salvatoris, venientis ad Zion, deque eo sanguine, cujus vigore poterat ista liberatio à peccato, Satana, morte & inferno perfici: quam redemptionem Christus impetravit, quando non per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inventa. Heb. 9.* Argumentor inde: Cujus rei vigore seu valore & dignitate facta est liberatio generis humani à peccato, Satana, morte & inferno, ea est causa moralis istius liberationis. Atqui vigore seu valore & dignitate sanguinis Salvatoris facta est liberatio generis humani à peccato, Satana, morte & inferno. Ergo sanguis Salvatoris est causa moralis liberationis istius. Item: Qui redemptionem generis humani per proprium sanguinem impetrat, est causa moralis redemptionis. Impetratoriam enim moralem esse supra diximus. Christus eam per proprium sanguinem impetravit. E. illius causa est moralis.

th. 1. 8. 34.

XLIX. D. Johannes Hülsemannus Breviario Extensio cap. XI. n. IX: *Meritum Christi solum imputatur ob pretium & valorem.* Hinc argumentum: Quod homini ad justitiam ob pre-

592

ob pretium ac valorem suum imputatur, id causa moralis est justitiæ seu justificationis & salutis ejus. Sed meritum Christi ob pretium & valorem suum homini ad justitiam imputatur. Ergo meritum Christi est causa moralis justitiæ seu justificationis & salutis ejus. Major est manifesta: nam causa moralis est, quæ imputative influit, sive, quæ ita causa est effectus, ut hic illi vel propter dignitatem, valorem & pretium ejus, vel secundum modos alios similes, imputetur. Cum verò Minor Hülsemanni sit, non potest non conclusio quoque ipsius esse.

XLIX. D. Johannes Scharfius disp. de Morte Christi num. xxvi: *Christus moriens personam sustinet generis humani. Mors igitur ejus, æstimatione divina est mors omnium hominum. Id est, æstimatur ita in judicio mentis divinæ, ac si eam mortem homines in sua quisque persona sustinuissent. Rursus: Omnes dicuntur mortui λογισμῶ & æstimatione divina, qua unius (Christi) pro omnibus mors æstimatur ita, tanquam illi iidem omnes in sua quisque persona mortui fuissent, & consequenter justitiæ divinæ pro peccatis suis satisfecissent, ac jus adeundæ hæreditatis cœlestis sibi impetrassent. Quod quid aliud est, quam mortem Christi causam moralem justificationis nostri & salutis esse? Homines scilicet mortem pro sese non objerunt & satisfecerunt, obiit autem illorum loco & satisfecit Christus, quod in judicio divino accipitur & æstimatur ita, ac si homines ipsi moriendo satisfecissent & salutem sibi acquisivissent. Quæ certe mortis Christi causalitas mere moralis est.*

L. Josua Stegmannus in Photinianismo Disp. xxx. quæst. 11: *Nec offendat Smalcium, quod Christus in V. T. secundum humanam naturam nondum fuit, sed demum venturus erat. Valet enim ipsius meritum ante & retro. Et quamvis passio & mors Christi non fuerit in V. T. in actu & complemento, fuit tamen ibi in decreto & præscientia, in merito & efficientia, in sponssione & sti.*

& stipulatione. Quemadmodum ergo interveniente sponsore, qui stipulationem facit, debitor dimittitur, quantumvis debitum actu jam dum solutum non sit, sed ideo tantum, quia creditor in sponsore, quem solvendo esse novit, acquiescit, & solutionem certo tempore securam acceptat: ita facta sponsione pro nobis à Christo, Deus Pater debitores dimisit, etiamsi actu $\lambda\upsilon\tau\epsilon\gamma\upsilon$ nondum esset persolutum, saltem quia in tempore illud certe solvendum prævidit. Vis ergo & efficacia meriti Christi apud Patres V. T. ex sponsione ipsius est, quatenus illa ad solutionem in plenitudine temporis certo securam relationem habet, quamvis actu nondum esset præstita. Hæc Stegmannus. Jam qui se satisfacturum pro debitore spondet, & sponsione hac liberationem & salutem ejus acquirit, est causam moralis istius effectus. Sed Christus pro lapso genere humano satisfactionem certo tempore præstandam Patri spondit, & sponsione hac liberationem illius & salutem acquisivit. Est igitur Christus causa moralis liberationis & salutis generis humani. Atque ita porro, quia vis & efficacia mortis ac meriti Christi apud Patres V. T. ex sponsione ipsius est, efficacia & causalitas ea non est alia quam moralis.

loco 12. ad
 quæst 3.

L. I. Gothofredus Cundisius, Academiae Jenensis quondam Professor, Notis ad Compend. Theologicum Huteri: Sedet in tribunali suo Deus justus iudex. Huic per legem ad tribunal severæ justitiæ sistitur peccator, & accusatur, quod sit transgressor legis, & morte dignus. — Is tamen non desperat, sed exemptionis à judicio legis privilegium citat ex authenticis divinis, quæ justitiam etiam promittunt. Fretus proinde debiti solutione omnimoda, quam præstitit Salvator, tandem Advocatum secum adducit ad thronum gratiæ. Ille pro peccatore intercedit, & præstitam à se satisfactionem plenissimam legi obtendit. Hanc Christi justitiam, hoc placamen, apprehendit peccator, strictoque Dei judicio opponit, & in gratiam se acceptari flagitat. Hinc Deus & peccator, qui

qui

593.

qui à se invicem longius quam cœlum & terra disternati sunt, per hunc *ἱλασμὸν* & pacis sequestrum uniuntur. Sic deletur Chirographum, quod contra peccatorem erat. Deus etiam contentus est Christi obedientia, unde ab ipso peccator à reatu culpa & pœnæ absolvitur. Atqui judiciarius & forensis hujusmodi actus moralis est, & intercessio pro peccatore, atque satisfactio, moraliter se habent, & ratione morali justificationem (idem de salute æterna, quæ finis justificationis est, dicendum) causant.

LII. Verum nolumus talia congerere, quibus id implicite tantum asseritur, & per consequentiam, quantumvis satis validam, derivatur, nimis enim multa futura essent. Potius adducamus nonnullos, qui *diserte* & *expresse* meritum, passionem & mortem Christi justificationis & salutis nostræ causam moralem statuunt. B. Scheiblerus in Topicis cap. xx. num. LXII: *Cum mors Christi dicitur esse causa salutis nostræ, imprimis complectitur totam obedientiam Christi, activam & passivam, & sic non est nude privatio. Deinde, cum mors causa dicitur salutis, tum intelligitur solum de causa meritoria. Causa autem meritoria non est, ut sic dicamus, causa physica: neque enim illa influit realiter in productionem effectus: sed solum est, ut sic dicamus, causa moralis, cui tribuitur effectus, non per aliquem influxum ejus realem, sed per imputationem alterius, quomodo etiam ille qui consulit, aut cogit, solet ejus rei causa dici, quæ efficitur ab eo, qui secundum consilium aut petitionem alterius facit. Hæc Scheiblerus.*

LIII. B. Slevogtum modo suffragantem audivimus. Audiamus tamen nunc porro. Disputatione aliquoties allegata num. VIII: *Christi mors & passio, inquit, salutem hominum operata est, etiam prius, quam existeret, ac etiamnum eam operatur, quantumvis non existat amplius, idque propterea, quia in hunc effectum non influit physice, sed moraliter ac per modum meriti. Numero LXXVI: Meritum Christi & fides moraliter causant salutem nostram, & eam causalitatem moralem exercent, mediate quidem*
F 3 respectu

respectu effectus externi, immediate autem respectu volitionis divi-
nae. Numero LXXXVII: Meritum Christi & fides salvifica justifi-
cationem nostri causant, non per modum causae physicae, sed potius
per modum causae moralis. Quum enim non solum verbum justifi-
candi in forensi significatione usurpetur, sed actus etiam ipse justifi-
cationis judicialis sit, uti omnes docent Theologi nostri, minus conse-
quenter docere patet, si qui sint, qui in actu judiciali, quatenus judi-
cialis est, causas physicas esse quærendas putent. Iterum num.
LXXXIIX. LXXXIX. XC: Concedendum videtur esse, quod meritum
Christi, & fides illud amplexa, ad nostri justificationem in tali actu
(judiciali) non concurrant per modum effectiois, uti ad causam
physicam requiritur, sed per modum meriti & satisfactionis, quæ est
causalitas causae moralis. Ut ita fere comparatum sit cum misero
peccatore in judicio divino, quemadmodum comparatum esse vide-
mus cum reo in judicio humano. Stat reus coram tribunali, & accu-
satur ab actore. Miser nihil invenit, quo se expediat. Delictum
est manifestum & negari non potest: unde nihil superest, nisi ut
sustineat supplicium. Venit autem aliquis & offert ei lytrum, quo
judici satisfacere, & se à culpa pariter ac pœna liberare possit, si velit.
Ille hoc avida manu apprehensum facit suum, ac pro se mox judici
exhibet: quod movet judicem, ut eum non modo à culpa absolvat,
sed etiam pronunciet justum. Sic fere res semet habere videtur cum
peccatore, quem coram tribunali divino constitutum Lex accusat.
Quod ibi pluribus exponitur. Ex quo satis apparet, pergit lau-
datus Vir, quod, sicuti lytrum illud, cujus solutione reus permovit
judicem, ut eum pariter absolveret à culpa & pœna, ac etiam justum
declararet, non physice hunc effectum causavit, reali actione influen-
do in voluntatem judicis, sed moraliter tantum, & per modum satis-
factionis: ita etiam meritum Christi, & fides illud amplexa, quum in
actu justificationis Deum movent, ut miserum peccatorem à peccato
absolvat, & justum pronunciet, hunc effectum non causent physice,
per actionem realem influendo in voluntatem Dei, sed moraliter, &
quidem

597.
quidem per modum satisfactionis. Atque physice justificationem à merito Christi, & fide illi innixa, non causari, proxima statim thesi novo insuper eoque invictò argumento demonstrat, & tandem th. xcii. subjicit: *Meritum Christi & fides, etsi causare nequeunt actum justificationis effective & per modum causæ physicae, causant tamen moraliter, & per modum causæ satisfactoria vel meritoria.* Hucusque magnus ille Vir.

LIV. Eum sequitur Dn. D. Johannes Musæus, Dissertatione de Æterno Electionis Decreto cap. ii. num. LXXIIX: *Meritum Christi, ait, in se moralis entitas est, — & apprehensum non aliam ad justificationem nostri habitudinem causæ importare potest, quam MORALEM, & quæ impulsiva causæ convenit.* Paulo post: *Meriti Christi est, per modum CAUSÆ MORALIS, & quidem per modum impulsivæ principalis justificare, movendo scilicet Deum bonitate, dignitate ac valere suo infinito ad peccata nobis condonanda.* Rursus: *Tota vis meriti Christi, quam in ordine ad nostri justificationem obtinet, MORALIS est, sub ratione pretii pro peccatis nostris equivalentis Deum ad peccata nobis condonanda movens.* Concludit inde: *Ergo & vis justificandi, quam ab apprehenso merito Christi fides habet, MORALIS est.* Et addit rationem: *cum à causa principali (merito Christi) cui nulla nisi MORALIS vis causandi convenit, vim causandi physicam instrumentalis habere non possit.* Mox: *Nec Meritum Christi absque fide, nec fides absque merito Christi apprehenso est completa justificationis causa, sed ambæ junctim sumtæ constituunt unam completam illius causam, NON PHYSICE efficientem, sed MORALITER Deum ad nostri justificationem moventem.* Ergo utraque in genere vel ordine causæ moraliter moventis ad nostri justificationem concurrat. Capite v. n. cxiv. ait, si Christus salutis nostræ causæ efficiens physica vel exemplaris dicatur, purum putum Socinianismum esse. Quod quomodo intelligendum sit Vir acutissimus hac ipsa & præcedente thesi perspicue declarat. Prode-

rit

rit omnino integra, etsi pluscula sunt, huc transcribere. Utut Reformati, inquit, meritum Christi commendent, idque salutis nostrae causam meritoriam esse prolixè doceant, stante tamen, quod non sit causa vel ratio motiva (h. e. impulsiva & moralis) voluntatis divinae ad conferendam nobis salutem, non possunt, quin id causam salutis nostrae meritoriam esse tandem prorsus inficientur: (quod Socinianos facere notum est.) Non enim aliam Christo habitudinem causae in ordine ad salutem nostram tribuere poterunt, quam (qualem tribuunt Sociniani, nempe) efficientis (physicæ) & exemplaris: Efficientis quidem, in quantum viam salutis partim ipse nobis patefecit, partim Apostolos suos, qui eam patefacerent, misit; & misso à Patre Spiritu S. fidem in cordibus nostris accendit, nos spiritu suo regit, contra hostes spirituales defendit, & vitæ aeternae tandem reapse participes reddet. Exemplaris vero causae, in quantum vitæ sanctitate nobis ad sanctimoniam vitæ; & passione ac morte ad patientiam in cruce, præiuit, ut ejus imitatores simus, & ad ejus exemplum sanctitatem ac patientiam sectemur. Quod autem obedientia, passione ac morte sua etiam causa meritoria salutis nostrae sit, citra contradictionem statuere nunquam possunt, quam diu statuunt & defendunt, Christum passione & morte sua non extitisse & existere causam vel rationem impulsivam (ac moralem) voluntatis divinae, ad decernendam nobis salutem. Item: Si ita Christus Dei voluntate constitutus est causa salutis nostrae, ut non sit causa voluntatis divinae, qua nobis vult & confert salutem, i. e. impulsiva & moralis; evidens est, quod Christus non possit esse causa salutis nostrae meritoria, sed, si ejus causa esse dicatur, tantum de causa efficiente physica, vel exemplari, id accipiendum erit. Quem purum putum Socinianismum esse, ibi subjungitur.

LV. Dn. D. Petrus Musæus in Dispp. Theol. Kiloni habitis cap. VIII. sect. I. §. cXLII. & seq. Causa moralis & meritoria, ait, Christus eorum effectuum est, qui ad officium ipsius mediatorium pertinent, puta quod passione & morte infiniti pretii ho-

eii homines reconciliavit Deo, & à morte redemit, atque impletio-
 ne perfectissima legis iustitiam ipsis vitamque eternam acquisivit.
 Qua Christi opera Theologi ἀποτέλεσματα appellant. Quanquam
 duo hic distinguendi sunt ejus effectus, quorum uterque utrique na-
 tura debetur: unus est actus meritorius; alter est bonum promeri-
 tum, quò promeritum, sive quod idem est, boni acquisitio. Non
 utriusque, sed boni promeriti & acquisiti causa moralis & meritoria
 est. At meritorii actus est causa physica, quia secundum substan-
 tiam ille quidem est à carne, per realem influxum, & qui ipsum in
 esse actus meritorii complet, infinitus valor à Deitate est. Ita Chri-
 sti passio & mors infiniti valoris est actus meritorius, cujus utique
 physica causa est Christus, hoc ipso, quod secundum carnem volunta-
 rie est passus, & secundum Deitatem ipse passioni suæ dedit infini-
 tum pondus. Sed quod huic respondet bonum promeritum, sive
 acquisitum, est satisfactio pro peccatis, reconciliatio Dei, &
 redemptio ab æterna morte, cujus Christus causa moralis &
 meritoria est. Actus autem meritorii ad bonum promeritum,
 & hujus ad illum, necessarius est respectus, qui in Scriptura duplici-
 ter exprimitur: (1) ratione intentionis; quomodo actus meritorius
 ad bonum promerendum se habet, ut medium ad finem. — (2) ra-
 tione executionis; quomodo actus meritorius ad bonum promeritum
 ejusque acquisitionem se habet ut causalitas causæ moralis ad effe-
 ctum, sive ut id, quo Christus bonum promeruit nobis & ac-
 quisivit. Qua habitudine verbo, boni acquisitionem significanti, sæ-
 pe additur in obliquo, & sexto quidem aut equipollente casu. — Sicut
 autem aliàs sæpe actio causæ efficientis nomen induit: ita & actus
 meritorius nonnunquam verbo boni acquisitionem significanti, ut
 causa boni acquisiti in casu recto conneditur. Et sic actus merito-
 rius Christi, ut sanguinis pro nobis effusio, eamque secuta
 mors, causa moralis (facta videlicet termini hujus amplia-
 tione) recte appellabitur.

LVI. Eadem vir ille Cl. in Instit. Metaph. c. xxvi. n. xxxvi.
 G habet,

num 22. habet, quorum partem jam supra adlegavimus: integra autem hæc sunt: *Servatoris nostri mors & passio — si comparetur ad Christum patientem ac morientem, sive passum ac mortuum, & ejus ex intentione aestimetur, puta quod Christus patiendo ac moriendo hoc ipsum intenderit, ut nobis ob passionem & mortem suam peccata remittantur, & justii coram Deo pronunciemur, sic sane passio & mors Christi, sub directa talis effectus intentione, est ipsius ut causæ moralis causalitas. Thesi subsequenti: Passio & mors Christi justificationis nostri coram Deo, & remissionis peccatorum, in tantum causæ moralis nomine venit, in quantum Christi velut causæ moralis causalitas est. In fine capituli istius negat, meritum Christi esse justificationis nostri causam physicam. Justificare est, ait, actum justificandi exercere & realiter in ipsum influere, adeoque ejus causam physicam esse. Hoc autem modo non meritum Christi, sed solus Deus justificat.*

LVII. Dn. Andreas Prücknerus parte gen. Compendii Metaph. c. iix. §. ix: *Mors Christi est causa Moralis nostræ salutis, quia ei imputatur effectus, puta salus.*

LVIII. Autor scripti germanici de Causa Morali & Conditione sine qua non, homo certe, quicumque ille sit, *Philosophiæ apprime peritus*, judice Dn. D. Titio Annotationib. ad Thesum Theol. disputationem 1. in eandem sententiam concedit. Recitabo ipsa verba ejus: *Das meritum CHRISTI, inquit, für sich wircket nicht (modo scilicet physico) die Seeligkeit (sonst würde für dem Leiden und sterben des HErrn Christi niemand sein seelig worden / denn was nicht ist / kan keine wirkende Ursach (in genere physico) seyn: agere, efficere, sunt eorum, quæ actu sunt, & non entis nulla actio:) sondern es beweget Gott / die Seeligkeit zu ertheilen den jenigen / so an Christum den Heyland der Welt beständig glauben. Daher ist diese propositio falsch: Meritum Christi est causa physica nostræ salutis: Hingegen aber ist diese waar: Meritum*

ritum

ritū Christi est causa moralis salutis nostrae. Derentwegen wenn die Herren Theologi in dieser *materia* begriffen / ob sie schon den *terminum Cause moralis* nicht ausdrücklich setzen / so haben sie doch die Sache an sich (*rem habent, quamvis termino non utantur,*) und also / wie man sonst ins gemein zu reden pfleget / ob sie schon die *causam moralem* nicht haben *explicite*, haben sie doch dieselbe *implicite*, das ist / in ihrer Lehr verhalten. *Hæc etiam ille.* Et poterunt ultimo isti asserto fidem ea saltem conciliare, quæ jam jam ex Hunnio, Hültemanno, Scharfio, Stegmanno & Cundisio adducebamus.

LIX. Idem in Disputatione de Gratuita Iustificatione th. 14.
hominis peccatoris coram judicio Dei, ante plures abhinc annos à Vener. Dn. D. Titio habita, egregie docetur. Verba sunt: Probe sciendum, Christi sanguinem & mortem justificationem nostram physica actione non efficere. Effudit enim demum τιμιον αίμα, pretiosum sanguinem 1. Pet. 1, 19. & obiit mortem in cruce multis post seculis à condito mundo, sub imperatore Tiberio. — Vera itaque & reali existentia mors ejus satis diu caruit, & nihilominus influxum contulit ad justificationem antiquorum Patrum nostrorum, qui salvi facti sunt gratia Iesu Christi, h. e. à Iesu Christo parta, sicut nos salvi simus, Act. XV, 11. Moralem ergo causalitatem exercuit mors illa, quæ in formali conceptu existentiam non exposcit. Similiter mors Christi inferioris etiam ævi homines sub Novo Testamento, physice non justificat, quia in voluntatem Dei per suam entitatem non influit, ut reali motione eam ad actum justificationis moveat, sed motione metaphorica per modum pretii, dignitatis, & satisfactionis tantum movet. Nec sanguis ejus emundat per realem quendam contactum ab omni peccato; sic enim, plane sicut alias aspersus hominis sanguis, cruentat, nec isto modo David eo se petit aspergi Ps. LI, 9. Moraliter igitur peccato contaminatos purificat, Deumq; suo valore movet, ut peccata, pro quibus profusus est, credenti non imputet. Quapropter nomine cause moralis merito insignitur.

LX. Neque diffidet Dn. D. Calovius in *Metaphysica Divina*, quam vocat, part. gen. tr. 1. c. 1v. ubi ista leguntur: *Defectus sequi potest privationem, si non effectus, — imo & effectus causalitate morali, si non naturali; ut mors Christi causa meritoria salutis dicitur.*

LXI. B. Dn. D. Hieronymus Kromayerus *Commentario* in caput xiiii. *Apocal.* *Meritum Christi valuit antrosum & retrorsum, in V. & N. T. — Et meritum Christi profuit, antequam fuit. — Nec ullius filii vel hili facienda est obiectio Socinianorum: Nullus effectus potest esse prior sua causa. Utut enim in rebus physicis obtineat hic canon, non tamen in Ethicis (non in moralibus, & de causa morali.) Tota quippe die videmus v. g. captivum à carcere dimitti, priusquam actu solutum fuerit λύτρον, modo adsit fideiussor, & de solvendo λύτρον certo constet. Quod si fieri solet in humanis, cur non multo magis in divinis?*

LXII. Quibus ita constitutis perspicuum est, quomodo in Scriptura per unius (Christi) obedientiam justii facti dicimur, Rom. v. 19. ipseque nos, qui sub lege & ejus maledictione eramus, redemisse, ut adoptionem filiorum acciperemus, Gal. iv. 5. atque adeo per mortem destruxisse eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberasse eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, Hebr. ii, 14. 15. Osee xiiii, 14. non esse ea (aliorum similium par ratio est) de physica, sed morali causalitate intelligenda.

LXIII. Cæterum quæras, cujusmodi causa moralis passio & mors sive meritum Christi sit, principalisne, an instrumentalis? Ubi quidem, ne vana quæstio sit, tanquam certum, opinor, ex superioribus sumes, bonam esse distinctionem causæ moralis in principalem & instrumentalem, neque soli efficienti physicæ convenire; minus autem, instrumentalem moralem in novorum monstrorum censum deprimendam, ac sibi dignam esse, nisi eadem
insu.

insuper opera monstroſæ ſententiæ arguere, & inaudito faci-
 nore exhibere velis Viros ſummos, omniq̄ue noſtro enco-
 mio majores, Dn. Stahlum & Dn. Slevogium, parq̄ue in-
 ſigne fratrum Dn. D. Johannem, & Dn. D. Petrum Mu-
 ſæos, qui omnes cauſam instrumentalem moralem ad-
 mittunt; Ille quidem part. 11. Reg. Phil. diſp. vi. de In-
 ſtrumento reg. iv. n. XIII, quem locum jam ante num.
 XXIX. allegatis unâ huc facientibus Beati viri verbis, produ-
 ximus: Iſte, diſputatione III. de Creatione n. XX. ſeqq. &
 diſput. de Cauſa Morali th. XI. & ſeqq. Ex Muſæis vero
 alter diſſertatione de Æterno Electionis Decreto cap. II.
 num. LXXI. LXXII. LXXVII. ubi etiam theſi LXXVI. in Wen-
 delino reprehendit, *quod recentiſſimos Lutheranos dicat com-
 minisſci cauſam instrumentalem moralem*, eamque contra illum
 porro aſſerit, ac tandem th. LXXIIX. concludit, *dari cauſas
 instrumentales morales*. Alter autem Inſtit. Metaph. c. xv. §.
 IV. Quibus Venerandum Dn. D. Brandanum Datrium ac-
 cenſeo, diſputatione Inaugurali de Baptiſmo ſacrum re-
 generationis lavacrum *inſtrumentum moraliſ* nomine appel-
 lantem. n. 185.

LXIV. Sed ad quæſtionem. Nonnulli mortem &
 meritum Chriſti cauſam moralem principalem vocant,
 quod propria ſua dignitate, virtute & valore Deum mo-
 veat ad peccata noſtra nobis remittenda, noſque juſtifi-
 candos & ſalvandos. Alii instrumentalem nuncupant,
 ſecundum rem tamen ab illis nihil diviſi, veluti mox pate-
 bit. Sic Leonhartus Hutterus in Locis Communibus
 Theologicis: *Cauſa efficiens instrumentaliſ juſtificationiſ eſt me-
 ritum Chriſti*. Instrumentaliſ videlicet in genere morum:
 nam de modo phyſico accipi non poſſe, ex dictis liquet.
 Wolfgangus Franzius diſp. IV. in Auguſt. Confess. n. XIII:
Cauſa instrumentaliſ reſpectu Dei conferentiſ juſtitiam intrinſeca eſt,
 quod

p. 602.

fol. 441.

fol. 446.

quod justificamur per semen mulieris conterens caput serpentis, & patiens morsum in calcaneo, id est, per redemptionem seu ἀπολύτρωσιν factam per Iesum Christum. Fridericus Balduinus in ista capitis IX. Zachar. verba: *Etiam tu in sanguine fœderis tui. Est hic, inquit, illustris descriptio redemptionis nostræ, PER passionem & mortem filii Dei factæ. Ubi ad explicationem textus notandum Medium & Meritum redemptionis nostræ: quod phrasi Hebraea exprimitur: In sanguine fœderis tui emisi vinclos tuos; hoc est, PER & propter SANGVINEM fœderis, in Novo Testamento cum populo meo initi. Ita enim usurpatur particula IN apud Hebraeos, interdum pro causa propter quam; — interdum pro CAUSA EFFICIENTE INSTRUMENTALI, PER QUAM aliquid efficitur. Utroque modo hic exponi potest: Nam PER SANGVINEM CHRISTI redemptio nobis parata est, & propter eundem sanctissimum Christi sanguinem à Deo in gratiam recipimur. En ait B. Balduinus, particulam IN heic loci etiam Causam Instrumentalem denotare, per quam nempe salus nobis sit reparata, eamque esse sanguinem Christi. Quin Hutterus iisdem Locis eo provehitur, ut ipsum Christum justificationis nostræ causam instrumentalem dicat: à qua locutione nec Franzius verbis jam citatis omnino alienus esse videtur. *Iustificationis actus, inquit Hutterus, suis certis constat mediis. — Et respectu Dei organa sunt triplicia: unum est meritum, quod est Christus salvator cum universo suo merito. Post aliqua: Efficientem justificationis nostræ causam aliam diximus esse efficientem principalem, aliam efficientem organicam sive instrumentalem. Vtriusque hujus causæ respectum sortitur Christus. Est enim is causa efficiens principalis justificationis nostræ, quatenus & ipse cum Patre & Spiritu Sancto, misertus generis humani, ab æterno constituit demum in gratiam illud recipere, sibi que ipsi reconciliare. Est vero idem ipse Christus causa etiam efficiens organica, quatenus in æterno illo adorandæ Trinitatis decreto, mediatio-**

nis

598,
nis partes in se recepit. Unde causa etiam meritoria respectum & appellationem accepit. Ante eum Georgius Mylius in Augustanam Confess. ad artic. iv: *Respectu Dei organica justificationis causa est Christus, quo mediante fit, ut a Deo nobis justificatio conferatur.* Hactenus igitur illi, omnes quondam Academiae Witebergensis Professores.

LXV. His maximum addo & omnibus venerabilem Ecclesiae nostrae Theologum B. Johannem Gerhardum, aperte & rotunde in comma xxii. capituli I. prioris Epistolae Petri commentantem: *Causa Instrumentalis sive medium redemptionis est sanguis Christi: Nec non Paulum Tarnovium Comm. incap. xiv. Joh. citatum Zachariae locum expendentem. Ille ibi profitetur, intelligi per sanguinem foederis cruorem Christi, & pariter ac Balduinus textum interpretatur: Et tu (Ecclesia, sive, filia Sion) sanguine foederis tui lota: Hac enim vox subaudienda est, ut apparet ex ב in voce בֶּתֶּה quod instrumentum sive medium, quo purgata est, denotat, sicut alias haec litera ablativum, sive sextum latinorum casum, quo instrumentum significari solet, usitate significat) emisisti vinctos tuos e lacu, in quo non est aqua. Sanguinis itaque Christi, quo Ecclesia Dei mundata & redempta, secundum Tarnovium instrumentum istius est purificationis ac redemptionis. Et huc fortasse etiam D. Johannes Georgius Dorscheus tendit in Synopsi Theologiae Zachariae part. i. cap. v. §. LIII: *Ecclesia, inquit, Sionaea dicitur esse in sanguine. — Praepositio ב varie usurpatur. Est Beth auxilii, notatque causam, instrumentum aut modum actionis: vel Beth vasis, indicatque subiectum in quo: vel Beth adhaesionis vel accessus. Est hoc loco Beth auxilii, notatque causam salvationis meritoriam, quae est in sanguinis effusione.**

LXVI. Existimamus, passionem, sanguinem ac mortem Christi & principalem & instrumentalem justificationis

nis

nis & salutis nostræ causam moralem diverso respectu esse. Quod ut intelligatur, sciendum est 1. causam principalem in genere, uti physicam & moralem sub se continet, illam dici, quæ influit in effectum virtute sufficiente & proportionata, seu non ignobiliori quam ad eum producendum requiritur: Instrumentalem vero, quæ improportionata & ignobiliori influit, eoque eget à causa superiori ad effectum producendum elevari. Et seorsim causam moralem principalem esse, quæ causam physicam propria sua dignitate, virtute ac valore movet ad effectum producendum: Instrumentalem autem moralem, quæ vi & dignitate propria non movet, sed accepto valore ac virtute à causa superiore & principali. 2. Passionem, sanguinem & mortem Christi considerari heic dupliciter posse; semel, ut proprietates humanæ naturæ sunt; non nude quidem sumptæ, sed positæ in officio mediatorio: deinde, uti totum *ἀποτέλεσμα* seu redemptionis nostri opus denotant, complexum infinitam illam vim, valorem & dignitatem, quam ab essentiâ & persona divina, naturæ humanæ unitâ, habet. Docet id magnus Chemnitius lib. de Duabus Nat. in Christo cap. XVII: *Aliud est, loqui de passione & morte Christi, quatenus est proprietas humanæ naturæ. Et aliud est, quod per illam passionem & mortem, placata est ira Patris, contritum caput serpentis, mors destructa, vita restituta, captivi liberati &c. Hæc enim divinæ virtutis operationes sunt, non tamen sine carne.* Et B. Hutte-
rus Explicatione Libri Christianæ Concordiæ ad art. III: *Sanguis, passio & mors Christi, inquit, respicit naturam humanam, si videlicet proprietates naturarum attendimus, easdemque discernimus. Si tamen arctissimum vinculum unionis duarum naturarum in unum numero ὕψιστον consideres, & simul attendas, humanam naturam in Christo non constituere propriam personam, sed subsistere in ὑποστάσει τῶν λόγων, ita quidem ut jam hu-*
mana

fol. 356.

599.

mana natura nihil seorsim agere possit, sed quicquid operatur, illud in ἰσχυρισμῶν ἔ λόγῳ perficiat, si, inquam, hoc mysterium unionis hypostaticæ respicias, tum profecto satis constat, sanguinem, qui effusus est, non esse sanguinem solius humanae naturæ, sed totius personæ, quæ non constat sola humana, sed humana & divina naturis personaliter unitis. Sic Chemnitius ac Huttenus, ut alios præteream.

LXVII. Si igitur passio & mors seu meritum Christi priori modo, nempe ut præcise humanæ naturæ proprietates sunt, accipiantur, dici causa instrumentalis justificationis & salutis nostræ poterunt. Nam quod causam physicam non valore proprio, sed aliunde & à causa superiore accepto, ad agendum movet, eoque in effectum virtute influunt ignobiliori, quam ad eum producendum requiritur, & à causa superiore ad movendum eget elevari, illud est causa instrumentalis, & quidem moralis, effectus. Atqui passio & mors Christi (priori modo sumtæ) Deum ad nos justificandos & salvandos non movent vi & valore proprio, sed aliunde & à natura divina, humanæ unita, accepto, adeoque virtute ignobiliore in justificationem ac salutem influunt, quam ad eam requiritur, & à causa illa superiore ad movendum elevari egent. Ergo mors & passio Christi justificationis & salutis nostræ causa instrumentalis sunt, & quidem moralis. Ratio Minoris est, quia Theologi omnes fatentur, passionem & mortem Christi, consideratas ut humanæ naturæ proprietates sunt, non esse opus tanti valoris ac virtutis, quanta ad justificationem & salutem humanam parandam exigitur, sed ad hanc ἐνέργειαν ἰσχυρῶς requiri. *Actions & passionis humanae naturæ*, ait loco allegato Huttenus, qui nunc omnium instar sit, non sunt infinitæ, sed finitæ, quippe certi temporis periodo, diebus nimirum exinanitionis terminatæ. Ergo ut satisfactio, sive redemptionis pretium, responderet infinito reatui, necesse omnino fuit, ut ad pretii illius exsolutionem, non finitæ tantum, sed & infinitæ, hoc est, divinæ naturæ actio sive

H media-

fol. 275.

mediatio concurreret, & aliunde Mors Christi valorem infinite redemptionis acquireret. Passio itaque & mors Domini, uti naturam humanam præcise respiciunt, Deum valore proprio ad justificandum & salvandum miseros peccatores, non movent, & in effectum istum virtute sufficiente ac proportionata non influunt; elevantur autem à divinitate Christi, quæ patienti olim carni tanto in agone vires suppeditavit, pondus etiam & pretium passioni addidit, ut pro totius generis humani peccatis λόγος fieret sufficientissimum: quemadmodum Fridericus Balduinus ait disp. v. de Articulis Smalcaldicis num. xxxviii.

LXVIII. Hoc considerandi modo B. Martinus Chemnitius humanitatis in Christo operationes, ad officiū ipsius pertinentes, cum Damasceno & veteribus expresse instrumentarias vocat. Divina natura Christi, inquit ibidem, in officiis Messie, utitur tanquam organo naturalibus operationibus assumpta humanitatis. Mox iterum ex Commentatore Damasceni: Humana Christi actio habet divinam virtutem coeffectricem. Divina ejus actio habet humanam operationem more conjuncti organi cooperatricem. Et notum est, nonnullis prisca ævi doctoribus, ut Athanasio Orat. iv. contra Arianos; Cyrillo Alexandrino lib. x. Thesauri c. vii. Damasceno lib. iii. de Orth. Fide c. xv. & cum illis pluribus nostratum humanitatem Christi organon divinæ ipsius personæ appellari, per quod hæc unionis personalis operationes suas, etiam in officio mediatorio, peregerit. Verbi Dei testimonium affirmat, ait iterum Chemnitius, divinitatem λόγος assumptâ humanâ naturâ tanquam organo uti ad divinam aliquam operationem, quæ sit ultra, præter, aut etiam contra físicas conditiones humanæ naturæ, ut in Cæna Dominica, in Justificatione, Vivificatione, Salvatione. Atqui sanguis illiusque effusio & dolores Christi ad humanam ejus naturam pertinent. Si ergo humanitas est instrumentum divinitatis τὸ λόγος in redimendis, justificandis & salvandis hominibus; etiam sanguis, passio, & mors humanitatis eo in negotio

lib. de du-
ab. Nat. in
Christo,
sect. de ter-
tio gen.
Comm. I-
diom. q. 4.
secundum
edit. Je-
neaf. An.
370.

600.

gotio recte instrumentum dicentur: quippe quibus redemptio, justificatio & salvatio hominum perfecta est. Nulla enim solida allegari causa poterit, quare humana τὸ λόγῳ natura dicenda sit organon divinitatis, per quod homines redimantur, justificentur & serventur, neque tamen id nominis proprietatibus & actibus illis humanitatis, à quibus effectus isti proxime dependent, tribui debeat.

LXIX. Nec aliud B. Hunnius voluit libro Quæst. & Respons. de Persona Christi. Verba ejus sunt: *Virtus edens miracula originaliter est τὸ λόγῳ propria, atque sic principatus miraculorum Christi residet penes Deitatem. Minus principaliter, vi unionis personalis, competit Christo, qua homo est, illa potentia & virtus, qua etiam unctus est secundum carnem, ut humana ejus natura sit organum & instrumentum istorum miraculorum, non solum externi ministerii respectu, sed etiam ratione divinæ virtutis illius & potentiæ, qua in incarnatione personaliter unctus est.* — Quamvis enim, ad distinctionem proprietatum respiciendo, agat quæque natura ex se, quæ naturaliter sibi sint propria, tamen beneficio unionis humana natura in realem κοινωνίαν operationum divinarum pervenit. Sic caro Christi est vere vivifica: Sic sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato: Sic ex carne ejus egreditur virtus sanans mulierem: Sic Dei sanguine redimitur ecclesia: Sic Christi sanguis ipsas conscientias purgat ab operibus mortuariis; Sanctificat & æternam parit redemptionem: Et reconciliat nos Christus Deo corpore carnis suæ. Quæ simul omnes actiones (nempe justificare, emundare ab omni peccato, redimere ecclesiam, purgare conscientias ab operibus mortuis, æternam acquirere redemptionem, & reconciliare Deo) sunt absque omni dubitatione hujusmodi actiones, quas nemo sanus dixerit humanas, sed mere divinas. Et tamen Scriptura eas carni Christi, sanguini ejus, (proinde & passioni ac morti) corpori carnis ejus &c. magnifice tribuit: nempe ita, uti miracula humanitati Christi attribuuntur. Attribuuntur autem ea illi tanquam instrumento divinitatis, ex sententia

post med.
libri p. 276.
seqq. edit.
in oct.

Hunnii: Ergo secundum eandem & operationes illæ, puta, justificatio, redemptio, reconciliatio cum Deo, salvatio, naturæ humanæ & sanguini ac passioni Christi tanquam instrumento tribuendæ sunt.

LXX. Atque ita est, si sanguis, passio & mors Domini priori modo spectentur. Sin posteriori, nempe quatenus integrum ἀποτέλεσμα significant, & virtutem ac valorem infinitum, quem à natura divina habent, involvunt, jam principalis causa moralis sunt justificationis & salutis nostræ: tanto quippe cum valore spectatæ sufficiunt delendis totius mundi peccatis, & sunt plenarium ac perfectum λύτρον, pro iis exactissime præstitum: consequenter influunt valore ac virtute propria, & non ignobiliori, quam ad effectum producendum requiritur; quod de ratione causæ principalis esse diximus. Quicumque ergo passionem & mortem Christi causam moralem principalem appellant, ab illis, qui instrumentalem dicunt, in re ipsa diversi non sunt: altero enim hoc modo utramque considerant, sicuti hæc eorum ratio evincit, quia nimirum passio & mors illa ex se, & virtute atque dignitate propria causent, proprioque valore Deum ad remittendum peccata, justificandum & salvandum moveant, quod sane ipsis secundum priorem considerandi modum non competit: quomodo tamen eas procul dubio sumunt, qui causam instrumentalem appellant.

LXXI. Quando autem Mylius & Hutterus, ac quodantenus quoque Franzius, ipsum etiam Christum causam instrumentalem justificationis nostri dixere, termino non adeo strictè usos arbitror. Capitur enim nonnunquam vocabulum *instrumenti* & *causæ instrumentalis* latius, pro eo, quod vel secundum loquendi modum, vel secundum rem, inter causam efficientem & effectum intercedit ac mediat, seu per quod quacunque ratione aliquid fit. Quomodo causæ secundæ instrumenta primæ à quibusdam dictæ sunt, ac à Tho-
ma

007

ma quidem ipso tract. de Potentia Dei qu. III. art. VII. in
concl. nempe ob earum à prima causa in agendo dependen-
tiam, & hujus cum illis concursum. Aliàs Thomas in quæstio-
nibus de Veritate qu. XXIV. de libero arbit. a. 1. ad IV. causam
secundam in ordine suo, vel, ut ipsi loqui placet, secundum quid,
principalem esse, agnoscit; causam vero primam, principalem con-
stituit simpliciter loquendo. Et David Chytræus Enarratione ca-
pitis I. Geneseos scribit; instrumentum, quo Deus ad hanc pulcer. fol. 25.
rimam machinam cæli, & terram fabricandam utitur, esse VERBUM,
seu Filium Dei, λόγον: qui tamen paulo prius expresse docue-
rat, causam efficientem mundi esse Deum Patrem, Filium & Spi-
ritum sanctum, qui simul omnes res alias condiderint, & conseruent.

LXXII. Laxiori igitur hoc, ut dixi, vocis significatu
eos Christum ipsum justificationis organon & causam instru-
mentalem (modo scilicet morali) appellasse persuasus sum.
Neque enim, ubi de re constat, necesse est semper vim tech-
nicarum vocum rigide attendere. Ita omnes norunt, quos-
dam nostratium olim fidem causam instrumentalem Electio-
nis divinæ dixisse, quum potius talis tantum sit in ordine ad
apprehendendum meritum Christi, cujus intuitu Deus cre-
dentes ab æterno ad vitam elegit: id quod B. Gerhardus con-
fiteretur Disp. Isagog. XIX. §. XII: *Quando fides, inquit, à qui-
busdam ex nostris vocatur causa instrumentalis electionis, tum non
accipiendum est illud eo sensu, quasi electio ipsa in se universalis fide
apprehendatur, sicut meritum Christi in se universale fide appre-
henditur, sed quod meritum Christi, propter quod electio facta est,
fide nobis applicetur; ac proinde fides dicitur causa instrumentalis,
non totius decreti, sed partis, videlicet meriti Christi, quod fides
apprehendit. Fides igitur inserta est electionis decreto — ὀργα-
νικῶς, respectu meriti Christi & promissionis Evangelicæ, in qua
meritum Christi nobis offertur, quod fides ut instrumentum ληπτικὸν
amplectitur.* Idem ante Gerhardum B. Meisnerus docuit in
Anthropologia Sacra Decad. II. disp. XIV, §. XXXVI: *Cum fi-*

des electionis causa dicitur, non intelligas principalem, impellentem ac meritoriam, sed tantum instrumentalem, & quidem non totius decreti, sed potius partis, nempe meriti Christi, quod fides apprehendit. Quum enim sit causa partis decreti, hinc populari loquendi modo causa dicitur ipsius decreti. Modeste autem B. Aegidius Hunnius Quæstionib. & Resp. de Prædestinatione: De phrasi seu locutionis genere rixas non movebimus, dummodo dogma Electionis ipsum firmum fixum stet. Hinc Dn. D. Johannes Musæus Dissert. de Aeterno Elect. Decreto cap. II. n. LXXIX: Theologi illi Lutherani, qui fidem decreti electionis causam instrumentalem dixerunt, eâ fuerunt æquitate, ut, ubi de re constiterit, de terminis artium nemini moverent litem. Sic D. Johannes Hülsemannus Manuali Augustanæ Confessionis disp. III. q. III. Christi iustitiam justificationis causam materialem vocat, cum talis proprie non sit, sed causa impulsiva externa & moralis. Dicitur autem causa materialis, quia est quasi materia, quæ in iustitiam imputatur. Atque hujusmodi alia ab accuratiori vocum notatione discedentia passim reperias; propter quæ tamen viris bonis doctisque lites in Ecclesia nostra hæctenus motæ non sunt, nec temere intendi debent.

LXXIII. Quum vero B. Glassius in Onomatologia Messiaë Prophetica class. IV. exponens appellationem עֲבָרַ יְהוָה scribit, (imitatus videlicet B. Meisnerum part. II. Philos. Sobriæ sect. II. c. I. q. IX.) Christus ministrando & nobis inserviando salutem vere & ut principalis causa operatus est. — Mala proinde Thomæ de Aquino vox est, Christum esse causam justificationis nostræ per ministerium, & instrumentaliter tantum operari hominum salutem: credo ejus animo strictam termini causæ instrumentalis significationem obversatam; deinde inprimis reprehendi, quod Thomas Christum tantum instrumentalem justificationis & salutis nostræ causam fecerit, secus quam Hutterus, qui eum ita instrumentalem dicit, ut principalem tamen esse
non

602

non neget. Meisnerus certe haut simpliciter negare videtur, Christum nostri coram Deo justificationis causam instrumentalem esse, sed solam exclusivam illam, quod tantum talis sit, loco jam adducto rejicere. Audiamus eum. Statuimus, inquit, Christum minus recte ab efficientia justificationis excludi, & falso instrumentalem DUNTAXAT causam appellari. — Neque nobis officit, quod Patres humanitatem Christi quandoque instrumentum divinitatis dixerunt. Non enim quærimus de humanitate Christi ad divinitatem collata, sed de toto Christo ratione justificationis, an vere statuatur, Christum NIL NISI instrumentum esse & causam ministerialem nostræ justitiæ, non vero proprie efficientem (principalem?) Hoc à Patribus affirmatum non est. Et si affirmaretur, foret nihilominus falsissimum. Christus enim est author vitæ, est Christianorum Dominus, est Jehovah justitiæ nostræ. Quî ergo justificationis TANTVM esset instrumentum? Eadem in Anthropol. Decad. III. disp. XXIV. num. LXXVI. & sequenti repetit. Ac præmiserat num. LXXV: Meritum Christi Pontificii non habent pro causa efficiente nostræ justificationis, sed TANTVM pro instrumento: idq; ibi tanquam erroneû improbat.

LXXIV. Witebergenses, quos laudavi, Theologos imitatus in parte est magnus Hornejus noster. In parte inquam: nam Christum quidem ipsum justificationis nostræ causam efficientem non instrumentalem, sed principalem moralem esse diserte scribit; de passione autem, sanguine & morte ejus, cum illis, & B. Gerhardo, aliisque profitetur, quod sit instrumentalis, part. II. Disp. Theol. IV. s. I. n. XIX. XX. & Compendii Theologici lib. I. c. VII. n. XVIII. XIX. eo nimirum sensu, quem paulo ante constituebamus, & summi Theologi Chemnitius atque Hunnius amplectuntur. Ac alio quidem & diverso B. Virum haut esse hoc loquendi genere usum, ex Disputatione de Universalis Christi Merito & Satisfactione, quam altero ante felicem obitum suum anno habuit, liquido constat. Thesi enim LVI. ista leguntur:
Quam.

Quamquam utraq; in Christo natura agit id, quod sibi est proprium, Verbo nimirum operante, quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est: ut tamen non duo distincta, sed unum numero ἀποτέλεσμα inde proveniat; ideo divina natura utitur operatione humana natura, sicut operatione sui instrumenti, & similiter humana natura participat operationem divinæ naturæ, sicut instrumentum participat principale agens. Et num. LIX: Divina actiones in Christo per humanam naturam exercentur, veluti per organum, humana vero seu carnis propriæ actiones divinitatis virtutem participant, ut sint efficaces ac salutare, & ambæ ad unum ἀποτέλεσμα, seu opus nostræ redemptionis & salutis, conficiendum dirigantur. En manifeste operationes humanæ naturæ Christi (passio & mors ejus) heic capiuntur, non ut integrum ἀποτέλεσμα denotent & constituent, sed uti proprietates sunt istius naturæ, spectatæ cum ordine ad opus & officium mediatorium, in quo certas suas partes exequantur; eisdemq; tribuitur, quod natura divina ipsis sicut operationibus instrumenti sui utatur, & illæ vicissim istam ejusque actiones ut causam principalem, cujus virtute & elevatione efficaces ac salutare sint, respiciant, quodq; demum cum operationibus divinis ad unum numero ἀποτέλεσμα conficiendum concurrant. Uti vero illa, de qua diximus, loquendi ratio, etiam ad Christum ipsum potrecta, in aliis orthodoxis non reprehenditur, ita nec ob eam Hornejus noster meretur notari, præsertim quod ne quidem de Christo, sed tantum de morte & merito ejus usurparit. *Diligentia digna est pie eruditus*, ait ὁ πάντων Chemnitius, cum vera orthodoxa Ecclesia loqui, hoc est, phrases antiquis, optimis & purissimis Ecclesie temporibus usitatas & receptas, usurpare ac retinere. Interim quando de rebus ipsis consensus est, de modis loquendi facile conveniri potest inter eos, qui simplici studio veritatem quarunt. Si ergo alius alio magis proprie, apte & commode in rerum divinarum explicatione Scripturæ sententiam reddere potest, elaborandum in hoc est viris eruditus, id quod fieri & potest & debet, sine dissensione & acerbitate, modo in re ipsa & in sententia maneat consensus. Quo præclaro viri eximii monito atque consilio lectorem dimitto, & dissertationem hanc ob signo.

F I N I S.

Coll. diss. A. 97, misc. 27

lib. de dua-
 bus Nat. in
 Christo c.
 26. & in e-
 ditione Je-
 nens. sect.
 de tertio
 Gen. Com-
 mun. Idi-
 om. qu. 4.

est pie eruditus, ait ὁ πάντων Chemnitius, cum vera orthodoxa Ecclesia loqui, hoc est, phrases antiquis, optimis & purissimis Ecclesie temporibus usitatas & receptas, usurpare ac retinere. Interim quando de rebus ipsis consensus est, de modis loquendi facile conveniri potest inter eos, qui simplici studio veritatem quarunt. Si ergo alius alio magis proprie, apte & commode in rerum divinarum explicatione Scripturæ sententiam reddere potest, elaborandum in hoc est viris eruditus, id quod fieri & potest & debet, sine dissensione & acerbitate, modo in re ipsa & in sententia maneat consensus. Quo præclaro viri eximii monito atque consilio lectorem dimitto, & dissertationem hanc ob signo.